9764
Teol.

THESES APOLOGETICÆ

ADVERSVS SOLVTIONEM QVÆSTIONIS

THEOLOGICÆ, HISTORICÆ, AC IVRIS PONTIFICII,

QVÆ FVERIT MENS CONCILII Tridentini circa Scientiam mediam & Gratiam efficacem.

M. DC. XLV.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

RAtio quâ homines à brutis diſtinguimur, generoſa mentis ſupra plebeias erectæ indoles, quæ literarum cultoribus debet eſſe ingenita, Chriſtiana pietas quam profitemur, gradus ad quem in Eccleſia licet immeriti ſumus euecti, veritas quam tuemur, Dei gratia pro qua pugnamus, Auctoris exemplum cuius Apologiam aggredimur, nedum ſtylum, verùm etiam linguam & animum penitus auocarunt ab ſcriptione ſimili ei quam Auctores ſolutionis nuper exhibuerunt. Lumen illud vultus Diuini ſignatum ſuper nos rationibus non morſibus belluarum inſtar agendum ſuadet, nobilis ille ſapientiæ ad quam aſpiramus genius vulgares muliercularum, aliorumque de vulgi fœce homuncionum rixantium mores prohibet imitari. Chriſtianæ religionis præcepta iniuriarum retaliatione interdicunt, moderamen inculpatæ tutelæ etiam in legitima defenſione præſcribunt. Sacerdotalis dignitas ſcurrilia ſcommata & ſarcaſmos præſertim rebus ſacris intermixtos tanquam blaſphemias abominatur.

Coniunctissima veritatis & virtutis cognatio sicut vetat istam mendacijs promouere, ita non sinit illam motibus animi malè coërcitis & satyricis facetijs propugnare. Dei gratia, vt potè diuinæ naturæ participatio, charitate ac zelo veritatis, sed non amaro, nec ortis ex vanæ cuiuspiam gloriolæ ambitu contentionibus delectatur. Denique auctoris exemplum ad hunc nos defensionis modum cogit, cui (vt certo nouimus) plurimùm displiceret alijs quàm quibus ipse vsus fuerat armis, veritate nimirùm atque modestia propugnari, cùm & ipse in quæstione, vbi duriora quædam verba narrationis series exigebat, lenioribus quãtum potuit, conatus sit emollire. Quare ne mireris, Lector erudite atque beneuole, si omnes auctorum solutionis iniurias, dicteria, aliáque id genus pungentium verborum acumina in his nostris Apologeticis Thesibus ita dissimulemus, vt nec legisse videamur: profectò negligere in animo fuit quæcunque ad rem non faciunt, & illis dumtaxat satisfacere quæ aliquã probabilitatis speciem præ se ferentia, re tamen verâ impetunt veritatem. Quo fiet, vt tria in quæ aduersæ partis asseclas impegisse manifestum est, offendicula deuitemus, inprimis scandalum, quod ex verbis disputantium inordinatis oriri solet non ex veritatis defensione, ex qua etiamsi nonnulli scandalum non datum sumerent, *Vtilius tamen*, inquit Augustinus de lib. arbitrio, *illud permitteretur nasci, quam veritas relinqueretur.* Deinde non onerabimus cartas rebus alienis & nihil

ad quæſtionem facientibus, ſed ipſam, vt ſic loquamur, rei de qua agitur, ſubſtantiam attingemus, quod alij minimè præſtiterunt: ſi enim attentius aduerteris, & ſecluſis tantiſper affectuũ præiudicijs æquam volueris ferre ſententiam, perſpicies procul dubio ſolutionis auctores, vt illis ſemiacutis facetijs locum darent, nullam omnino theſim quoad ſubſtantialia hiſtoriæ, nec niſi quoad aliqua penitùs extrinſeca impugnaſſe. Denique à tenebroſa confuſione ordinatim procedendo cauebimus, ac ſingulas Theſes quæſtionis, aduerſus quas aliquid mouerunt, iuxta illarum ordinem nullâ impugnatione prætermiſſâ tuebimur, colligentes quæ ſparſim & promiſcuè ab aduerſarijs ſunt obiecta: nullum enim ordinẽ ipſi tenuêre, quod duplici de cauſa factum arbitramur: primùm quidem vt liberiùs more rhetorum vagarentur, neque hiſtorica ſerie ſtylum caſtigante, coercerentur: præterea vt difficillimam atque adeo à pauciſſimis tentandam theſium cum reſponſionibus collationem efficerent, & iſta arte Lectores ludificarentur, qui dum nequeũt ambas adinuicem conferendo examini ſubiicere, non poſſunt veritatem Theſium & reſponſionum ieiunitatem percipere, & dum vident quibuſdam ſaltem ſpecie tenùs ſatisfactum, idem prorsùs de omnibus arbitrantur. Verùm vt hæc omnia detegantur ſubiiciemus primò Theſim, deinde reſponſiones & argumenta reprehenſorum, & tandem apologiam noſtrã. Ne mireris tamen ſi ipſiſſima aduerſantiũ verba mi-

nimè repræsentemus, noluimus facetias seriis immiscere, aut tot iniuriarum meminisse: non potuimus dispersa hinc inde vnà colligere, nisi repetitione inutili pluries eadem scriberentur. Satis superque visum fuit, si nihil prætermitteremus eorum quæ obiiciunt, quod nos præstitisse sicut & omnibus satisfecisse speramus te iudicaturum, si legeris. Vale.

PRIMA THESIS QVÆSTIONIS.

SAcro-ſanctum Concilium Tridentinum Oecumenicum poſt hominum memoriam celeberrimum aduerſus Lutheri atque Caluini hæreſes anno 1542. indictum, *a* 1545. incœptum *b*, die 18. Iunii 1546. de iuſtificatione cœpit inquirere *c*, aliiſque quæſtionibus pertractatis, 20. Auguſti de gratiæ efficacia & libero arbitrio cœptum agi *d*, vndè ad quæſtiones de prædeſtinatione tranſitus factus eſt *e*. Tandem poſt varias diſputationes 13. Ianuarii 1547. de his in ſeſſ. 6. definitum aduerſus prædictorum hæreſiarcharum errores *f*, quorum is præcipuus, liberum hominis arbitrium motum à Deo & excitatum nõ poſſe diſſentire aut cooperari: atque adeò libertatem tolli per motionem Dei & gratiam præuenientem: de illa enim præcipuè loquebantur *g*.

Hæc prima Theſis nulla reprehenſione notatur ab aduerſariis.

a *Ex Bull. indictionis.*
b *Ex* 1. *ſeſſ. Concilij.*
c *Ex Actis Concilij.*
d *Ex Act.*
e *Ibidem.*
f *Text. Conc. ſeſſ.* 6.
g *Hoſius Card. lib. de Hæreſibus, & Bellar. lib.* 4. *de gra & lib. arb. c.* 5.

II. THESIS QVÆST.

ILli ſeſſioni aderant quatuor Illuſtriſſimi S. R. E. Cardinales *a*, è quibus duo Legati, ſcilicet Cardinalis de Monte, & Marcellus Ceruinus Cardinalis Bellarmini auunculus: qui poſt fuere ſummi Pontifices *b*: aderant & decem Archiepiſcopi. 47. Epiſcopi *c*, Iayus Societatis Ieſu Procurator Cardinalis Auguſtani *d*, & inter plurimos Theologos Salmerõ eiuſdem Societatis, & Laynes, quos tres B. Ignatius monet per litteras, ne nouam vllam opinionem amplecterentur licet rationibus & auctoritatibus fulta videretur *e*. Erat & Dominicus Soto Ordinis Prædicatorum, qui ibidem libros de natura & gratia Patribus Concilii dicatos *f*, & à Legatis cum laude approbatos *g*, edit in lucem *h*, ſicut & Andræas Vega Ordinis Minorum & ipſe in Concilio quæſtiones de Iuſtificatione, & mox commentarios in 6. ſeſſ. Trid. *i*, quæ opera laudat Caniſius Societatis Theologus *k*.

In hac ſecunda Theſi vnum criminantur n. 1. videlicet, quod auctor ſcribens anno 1607. vt apparet ex editione, laudauerit Orlandinum, cuius opus non prodiit ante annum 1615. ſicut nec Sacchini ante annum 1620. quem tamen etiam citat auctor quæſtionis Theſi 28.

Verùm præterquam quod hæc valdè extrinſeca ſunt, neque narrationis fidem euacuant, quid ſi auctor in manuſcriptum Orlandini codicem inciderit? Quid ſi error fuerit Typographi annum 1607. pro anno 1627. aut 1637. reponentis? Quid quod hic lapſus Typographo editionis annum diſſimulanti tribuendus videtur potiùs quam auctori? neque enim ſolent ſcriptores ad annum attendere, quo Typogra-

a *Ex ſcriptionibus.*
b *Ex vitis ſummorum Pontificum.*
c *Ex ſcriptionibus.*
d *Ex ſubſcr.*
e *Orland. Ieſuita hiſt. ſuæ Societ. lib.* 6. *n.* 25. *&* 26.
f *Ex præfatione. Soti.*
g *Soto in Apologia c.* 5. *Catharinus aduerſ. Apol.*
h *Ex edit. lib. Soti.*
i *Ex edit. lib. Vegæ.*
k *In præf. ad libros Vegæ.*

phus editionem designat. Debuerant reprehensores ostendere ea quæ ab auctore citantur, non haberi in Orlandino & Sacchino : quod tamen non potuerunt. Maneat igitur huius secundæ Thesis inconcussa veritas.

III. THESIS QVÆST.

SVb finem Concilij eius mandato Catechismus componitur præsertim à Leonardo Marino Archiepiscopo Lancianensi ex Ordine Prædic. Ægidio Fuscarario Episcopo Mutinensi ex eodem Ordine, & Francisco Forerio eiusdem Ordinis *a*. Hi Romam ire iubentur vt opus illud absolutum iudicio S. Sedis euulgent *b*, Recensitum & perfectum ab Illustriss. Guillelmo Sirleto *c*, qui Tridentino interfuerat *d*, & Syluio Antoniano Cardinali *e*, toti Ecclesiæ proponunt Pius 5. & Gregorius 13. *f*, Suscipiunt quinque Synodi Prouinciales Mediolanenses sub S. Carolo Borromæo *g*, Beneuentana *h*, Rauennas *i*, Salisburgensis *k*, Genuensis *l*, Rothomagensis *m*, Burdegalensis *n*, Turonensis *o*, Tolosana *p*, Gnesnensis *q*, Auenionensis *r*, Aquilcïensis *s*, quæ omnes ferè approbatæ sunt à sacra Cardinalium Congregatione, vel à summis Pontificibus *t*: venerantur eundem Principes *u*, & Theologi *x*, etiam Patres Societatis *y*.

a *Acta Conc. & Gaspar Silingandus lib. de Episc. Mutinensibus & Cronicon Ord. Præd.* b *Ex sess. vlt. Concilij.* c *Victorellus in addit. ad Ciacconium in Pio 4. in 4. Car. creat.* d *Cum Card. S. Crucis legato cuius tunc erat domesticus.* e *Victorell. in addit. in Clem. 8. in 4. Card. creat.* f *In Bullis & Breuibus inf. citandis.* g 1565. 1569. 1573. 1576. 1579. h 1567. *De prædicatione Verbi Dei c.* 2. i 1568. *De seminario c.* 4. k 1569. *Constitutione* 42. *cap.* 2. *& Constit.* 59. *cap.* 7. l 1574. *Tit. de Parochis.* m 1581. n 1582. o 1583. p 1587. q 1588. r 1594. s 1596. t *Ex Actis earund. Synod.* u *Albert. Dux Bauar, apud fabricium & alij.* x *Ederus, Bell. & alij.* y *Regula de præfecto lectoris mensa.*

Hanc tertiam Thesim aggrediuntur n. 36. quia quæ ad Catechismi Tridentini commendationem auctor commemorat plus nocent quam prosint.

Scilicet nocent quod mandato Tridentini à Sapientissimis, piissimis, & PP. Societatis studiosissimis viris sit compositus, à purpuratis Patribus recensitus, à Pio quinto & Gregorio decimotertio approbatus, à sexdecim Synodis prouincialibus confirmatis susceptus, à Principibus, Theologis, etiam ab ipsis Patribus Societatis commendatus. Quid quæso poterit prodesse, si hæc noceant ?

At, inquiunt, commendatur ex falsis.

Benè est, si probauerint: sed tenentur duo ad minus ex tot capitibus falsitatis accusare, vt verum dixisse vel specie tenùs videantur : Enim verò vbi dixerunt commendari Catechismũ ex falsis, non nisi vnicum caput

caput reperire potuerunt, quod falsitatis vel apparenter insimularent.

Non potuit, inquiunt, Synodus Mediolanensis anno 1565. habita Catechismum suscipere anno duntaxat 1566. editum.

Verum retunditur acumen Chronologicum, quia nouerant Patres illius Synodi mandatum Tridentini, cui ferè omnes interfuerant. Ipse Sanctus Carolus Boromæus Legatus à latere & illius Concilij Præses, cuius opera (vt in eius vita dicitur) hic Catechismus prodijt, probè nouerat Pium IV. auunculum suum Catechismi compositionem vel in primis curare, & iam fortè vir sanctus opus illud inter manus Cardinalis Sirleti olim præceptoris sui viderat recensendum: atque adeò in præfata Synodo illius meminere Constitutionum parte secunda titulo primo, & distinctiùs eadē parte titulo, qui libri à Clericis legendi, vbi sic decernunt. *Clerici* &c. *habeant sacrorum librorum si non copiam, saltem necessarium delectum, omnino verò testamentum vetus & nouum* CATECHISMVM *Romæ edendum, cùm primùm in lucem prodierit.* Ecce iam constare incipit quanta sit fides reprehensorum Habemus Catechismum vndequaque ex verissimis commēdatum, etiam ex regulis Patrum Societatis, in quibus licet non nisi vt Diui Bernardi opera probaretur, hoc tamen sufficeret, ne illius auctoritatem quisquam temerè denegaret: quantò magis cùm iam tot fundatissimis commendationum basibus innitatur?

IV. THESIS QVÆST.

Circa idem tempus scientiam mediam excogitant Molina *a*, vel Fonseca *b*, non audent tamen typis mandare *c*: discipulos illam priuatim docent: hos inter Lessius, qui paulo post Louanij prælegens, propositiones quasdam de prędestinatione & gratia dictat, quibus offensa Academia 1586. censuram in eas profert *d*, eamque imitatur Duacensis *e*, præmonita à RR. DD. Ludouico de Berlaymont Archiepiscopo Cameracensi, Ioanne Hauchino Archiepiscopo Mechliniensi, & Guillelmo Lindano Episcopo Gandauensi. Controuersia ad Pontificem delata, tulit ille (scilicet Lessius) temeritatis suæ acrem reprehensionem *f*. Sixtus V. vtrique parti silentium indicit anno 1588. *g*, quo tamen Generalis Societatis soluit Molinam, cùm eodem anno eius concordiam approbat *h*, ne victus cum suis videretur.

a 1. *p. q.* 14. *à* 13. *disp.* 18.
b 6. *Metaph. q.* 4. *sect.* 8.
c *Idem ibid.*
d *Censura Louan.*
e *Censura Duac.*
f *Henr. Henriq. lib. de vlt. fine hominis c.* 12. *in comment.*
g *Acta Cong. de Auxil.*
h *Facultas Generalis.*

In istam quartam thesim ex quatuor præsertim insurgunt numero 13. 14. 15. Primum est, quia subticuit auctor Louaniensis Academiæ censuram factam esse inutilem Bulla Octauij Frangipanij Episcopi Calatini Apostolici Nuncij dicentis motas fuisse dissensiones super

quibuſdam ſanæ doctrinæ articulis: Illi autem, inquiunt, erant articuli Leſſiani, igitur articuli Leſſii ſanæ doctrinæ dicti ſunt.

Reſpondeo hoc argumentum male compactum eſſe: ſicut ſi quis hæreticus diceret. Motæ ſunt quæſtiones in Germaniâ ſuper quibuſdam ſanæ doctrinæ articulis: atqui illi articuli ſunt Lutherani, ergo Lutheri articuli ſunt ſanæ doctrinæ, non valeret hoc argumenti genus, quia cum motæ dicuntur diſſenſiones inter duas partes præſertim Catholicas de quibuſdam ſanæ doctrinæ articulis, idem prorſus eſt ac ſi diceretur cõtrouerſum eſſe, quinam ſint veri & ſanæ doctrinæ articuli. Quare etiam cum Patres Societ. vulgaſſent Academiam Louanienſem retractaſſe prædictam cẽſuram: ſacra eius Vniuerſit. facultas eandem cenſuram confirmauit an. 1613. & ab ea ſe nunquam diſceſſiſſe, neque diſceſſuram teſtata eſt, donec à Sancta Sede res definiretur. Hoc autem nunquam commiſiſſent ſapientiſſimi viri, ſi doctrina Leſſij tanquam ſanæ doctrinæ à Legato promulgata fuiſſet.

Secundum caput criminationis eſt, quod auctor citauerit Henricum Henriquez lib. de vltimo fine hominis cap. 12. (cuius loco typographus malè appoſuit cap. 13.) quaſi loquentem de Leſſio; cum tamen, inquiunt, ne verbum quidem habeat de illo, qui erat lector & impugnator Catharini: Henriquez verò loquitur de Concionatore ac ſectatore Catharini.

Vt iſta euaneſcant repræſentamus locum Henriquez: In textu ſic habet. *Quidam Theologi labore minus vtili ſententiam Catharini de prædeſtinatione cauſâ præuiſâ à cenſura erroris excuſare contendunt.* In commentario autem littera B. ſic dicit: *Bannes, Zumel, &c. damnant ſententiam Henrici, quem ſequitur Catharinus damnatam ab art. Pariſienſibus* cap. 28 ſic. *Petrus Diaconus & Maxentius oppoſitam tenent, Fauſti damnant errores. Item Auguſtinus ſæpè ſeriò id affirmat, & colligit ex ſcriptura, & probat antiquos PP. id ſenſiſſe. At ſatis videtur, ſi damnetur temeritatis: eſſe planè contra D. Auguſtinum § 3. conſtat, & agnoſcit etiam Catharinus, quem Auguſtinum PP. in Concilijs, & maior meliórque pars Theologorum antiquorum & torrens recentiorum ſapientum ſequitur in omni ferè Academia orbis Chriſtiani. Quidem doctus prædicauit in Academia Louanienſi oppoſitum cum magno ſcandalo Academiæ, & re ad Sixtum 5. Papam delata, ſuſtinuit ſuæ temeritatis acrem reprehenſionem.* Hæc Henriques.

Ex his conſtat 1. Doctum illum ſecutum fuiſſe ſententiam Catharini de prædeſtinatione causâ præuisâ. 2. Academiam Louanienſem fuiſſe commotam. 3. rem delatam fuiſſe ad Sixtum 5 Hæc autem omnia conuenire in ſolius Leſſii factũ conſtat: nam primò Leſſium fuiſſe ſectatorem Catharini, quantum ad ſententiam illam de prædeſtina-

tione ex præuisis meritis, probatur tum ex assertione prima de prædestinatione relata in censura Louaniensi, tum ex Lessij operibus disp. de prædest. sect. 2. vsque ad 6. Lessium ac sequaces sicut & Catharinum parum modestè se habuisse erga D. Augustinũ liquet ex epistola Academiæ Louaniensis ad PP. Societatis, quæ censuræ præmittitur.

Ex quo etiam apparet commotam valdè fuisse celebrem illã Academiam: quod idem referunt ipsi PP. Societatis in imagine primi sæculi lib. 6. cap. 4. vbi dicunt illos quorum occasione turbo ille fuerat excitatus, fuisse Lessium & Hamelium. Imò Paulus Leonardus Iesuita parte 3. num. 44. contra solum Lessium censuram editam docet. Denique ijdem ibidem referunt rem fuisse delatam ad Sixtum V. neque vlla fuit alia cõmotio siue lis de prædestinatione in Academia Louaniensi, quæ ad Sixtum V. delata fuerit. Igitur cum omnia quæ narrat Henriquez optimè quadrent Lessio, neque vlli alteri quadrare possint, non abs re auctor Lessio attribuit. Adde quod idem dictum Henriquez de Lessio intelligunt Louanienses in libello pro Iansenio, qui clypeus aduersus tela R. P. Viueri dicitur, sub finem. Quod verò doctus ille, qui temeritatis suæ acrem reprehensionem sustinuit, fuerit concionator, non dicit Henriquez, sed dicit illum in Academia Louaniensi prædicasse: & si dictionem prædicandi in Academia ad prælectiones publicas protendere velimus, nulla vt videtur fiet vis verbo: & si Lectorem quandoque concionatum fuisse asseruerimus, nihil asseremus à moribus & consuetudine multum abhorrens: atque adeò habebimus Lessium sectatorem Catharini & concionatorem, de quo Henriquez intelligatur. Sed videat Lector, qua fide velint Lessium in hac controuersia fuisse victorem, cum etiam Generalis Societatis postea cauerit ne sententiam Lessij sequerentur: imò Marcus Timelius Iesuita, vt refert tanquam testis auritus Iacobus Segers in querimonia, cum vellet R. P. Generalem Societatis flectere in sententiam Lessij, à socio ipsius tale tulerit respõsum. *Ne quæso sententiæ illius mentionem apud R. P. Generalem iniicias, alias futurum vt in apoplexiam aut deliquium animi incidat.* Quod audiens Lessius respondit. *Verum est, R. P. Generalis valdè aduersatur meæ sententiæ, sed paratus sum illam defendere in die iudicii, & pro illa mori.*

Tertium caput criminationis n. 14. ponitur, quod auctor Lesſium fingat Molinæ discipulum, quem nunquam viderat, sed ne eius quidem scripta, vtpotè nondum edita anno 1586.

Verùm auctor non fingit Lesſium Molinæ discipulum, sed vel Molinę vel Fõsecę, ut ex verbis auctoris apparet: quare & in hac parte imponunt auctori secundo aliud est esse discipulum, aliud esse audi-

torem: qui ab altero acceptam doctrinam sequitur, non auditor sed discipulus dici potest, etiam si Magistrum nunquam viderit, neque illius scripta legerit, si tamen ab aliquo illam acceperit qui ab ipso vel alio eius discipulo didicerit. 3. esto Lessius Molinam non viderit aut eius codices typis mandatos, potuit sanè manuscriptos euoluere, & in iis à Molina doctrinam excipere, qua fieret eius discipulus, præsertim cum Molina 1. p. quæst. 14. art. 13. disp. 18. memb. 2. §. auctores profiteatur se docuisse suam illam sententiam 30. annis ante edita commentaria in primam partem quæ primum prodiere anno 1593. vel 94. vt testatur Paulus Leonardus 2. p. numero 36. atque adeò potuerit Lessius per illos 23. annos intercedentes Molinæ doctrinam aliqua via excipere.

Quartum caput criminationis n. 15. continetur. Narrat auctor Sixtum V. vtrique parti silentium indixisse anno 1589. quo silentio Molinam soluerit Generalis Societatis: vtrumque autem falsum est, inquiunt, Primum quidem quia Sixtus V. non indixit silentium disputantibus, sed cauit ne altera pars alteram censura notaret. Secundum verò falsum est, tum quia si nulla fuit silentij lex à Sixto V. indicta, non potuit Generalis illa Molinam soluere, tùm etiam quia Molinæ concordia iam edita fuerat anno 1588. atque adeò non potuit Generalis dando licentiam Molinæ ad edendam concordiam, illum soluere illa silentij lege, etiam si fuisset indictum.

Verùm hæc nihil nocent si vnicus Typographi error, qui facillimus est in numeris, corrigatur, & loco anni 1589. reponatur 1588. quo Sixtum V. per Nuncium Octauium Frangipanium Episcopum Calatinum sententiam in hac causa dixisse fatentur reprehensores numero 13. Silentium verò indictum esse à Sixto V. probauit P. Lemos in Congregatione 26. aliàs 45. ex ipso Breui Sixti V. neque id potuit inficiari P. Vastida, qui tamen initio contrarium asseruerat. Et esto non ita res se haberet: dum narrat auctor indictum à Sixto V. silentium, non incommodè potest hoc intelligi de silentio à censura, ita vt cauerit Sixtus V. ne altera pars alteri vllam vel minimam Hæreseos aut erroris notam inureret, vt dicitur cap. 4. lib. 6. Imaginis primi sæculi Societatis. Hoc autem ipsum non obseruasse Molinam constat, quia sententiam suæ oppositam asserit esse turpem hallucinationem disp. 17. §. his itaque, & occasionem dedisse erroribus, in concordia membro vltimo, & passim, vix posse ab hæresi Caluinistarum vindicari, quæ liberum arbitrium destruit: imò distinctè vocat illam errorem in fide 1. p. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. §. certè non dubitarem pag. 325. col. 2. lit. E. & F. editionis Lugdunen.

Ioannis Baptistæ Buisson 1593. Quare constat indicta à Sixto V. silentij lege Molinam fuisse solutum Neque verò dixit Auctor Generalem illum eâ soluisse factâ copiâ edendi concordiam, quod etiam non omnino à vero alienum esse posset, sed ait dumtaxat, Generalem silentij lege soluisse Molinam approbando eius concordiam : quod longè aliud est : potuit enim concordiam iam editam iterùm approbare : Et profectò ita contigit, nam & edita fuit concordia eodem anno, quo silentium indictum à Sixto V. scilicet 1588. & cùm posteà nonnullæ obiectiones aduersus illam (vt aliquibus videbatur) nouam doctrinam afferrentur, rursum Molina (dubio procul non sine facultate Generalis) edidit additiones & defensiones Vlyssipone apud Emanuelem de Lyra anno 1589. vt refert Paulus Leonardus Iesuita parte 1. num. 27.

V. THESIS QVÆST.

LOuanienses dicunt *a*, se dolere, quod PP. Societatis Augustinum floccifaciant, & qui Iesu titulum præ se ferant, gratiæ Iesu iniuriam inferre videantur : timere se, ne qui bonæ vitæ exemplo multos ædificarunt, plurimos malè credulos in ruinam præcipitent. Finiunt in hæc verba : *Sententia hæc Dei bonitatem obscurat; iustitiam eneruat; scripturis illudit; Patrum testimonia in sensus alienos detorquet; humanæ rationis corruptioni applaudit; humilitatis fundamentum euertit, precandi necessitatem non magnam relinquit; propriarum virium fiduciam ingenerat; in salutis negotio quod præcipuum est, homini donat quod minus Deo; gratiam libero arbitrio subijcit; in summa à Pelagio non procul abscedit: Hæreticorum nostratum sententiam stabilit* : Eadem Duacensis.

a *Totum ex censura.*

Thesis hæc quinta intacta manet.

VI. THESIS QVÆST.

EX concordia Molinæ oritur discordia, maximè *a* quia Augustinum sub caligine fuisse, non attendisse ad rem, ex eius sententia turbatos esse viros eximios, *&c.* diceret, eius tamen dogmata publicè tuetur Antonius de Padiglia *b* eiusdem Societatis anno 1594. 5. Martij in Prçuigilio Festi D. Thomę Aquinatis, quem velut per contemptum designando, ait P. Aluari, Ord. Pręd. Putatisne vos habere clauem scientię in ordine vestro? Incalescentibus in disputatione animis PP. Ordinis Prędicatorum dicunt theses esse erroneas; cumque illi essent magnę auctoritatis, commouetur ciuitas: territi PP. Societatis eadem die ad Vesperam sacro Tribunali Inquisitionis librum Molinę

a D. *Matth. Hist. Reg. Christ. to.* 2. *Hist.* 7. *an. pacis sub finem.*

b *Dalmatius Amatus in suæ relatione.*

tanquam de hęresi suspectum denunciant: Rogant tamen ne PP. Prędicatores sint Censores. Ventilatur quęstio in Academijs.

Aduersus hanc Thesim 6. multa conquerũtur n. 16. 17. & 18. Et 1. quidem quod auctor dixerit ex concordia Molinę natam discordiam anno 1584. pro quo reponendum iudicant 1594.

Sed profectò vel ex hoc capite attendat eruditus Lector quã fidem à reprehẽsoribus expectare debeat in factis occultioribus, cum in tam apertis falsitatis eos conuicerit. Auctor quęstionis ortam ex concordia Molinę discordiam absolutè narrat nullâ appositâ tẽporis vel anni designatione: postmodum verò speciale quoddam factum refert Antonij de Padiglia, illudque anni, mensis, ac diei quibus contingit annotatione determinat. Reprehensores, vt ansam criminandi haberent, annum, quem auctor signat inferius in facto Antonij de Padiglia transtulerunt ad ortum discordię ex Molinę concordia. Quę fides? Adde quod licet auctor dixisset ortam ex concordia Molinę discordiã anno 1584. (pro quo reponẽdum esset 1581.) nihil diceret à vero alienum. Nam ex concordia Molinę, id est, ex nouo illo modo quo Molina explicare conatus est concordiam liberi arbitrij cum prędestinatione ac gratię auxilijs, orta est eo anno discordia Salmanticę cum P. Prudentius de Monte-maior Iesuita quędam theoremata ad hunc modum spectantia voluit propugnare, quę Theologicę facultati sic displicuerunt, vt & censura notarint, & ad sacros fidei Quęsitores res delata sit. Cuius rei testem habeant Paulum Leonardum Iesuitam p. 3. num. 35.

Secundo conqueruntur quod natę ex Molinistica concordia discordię testem adhibuit Petrum Matt. qui cum Historiam ordiatur ab anno 1601. non potuit narrare quę contigerunt anno 1589. vel 1594. & quod dicit de Molina refert ad annum 1603. exeuntem.

Miramur profectò reprehensores istos ita se celebris historicorum consuetudinis ignaros simulare, quasi minimè nossent historię scriptores, licet vnius anni historiam texant, cogi nihilominùs ad pręcedentes annos recurrere, vt narrationis originem explicent. Itaque D. Matthęus cùm vellet celeberrimarum disputationum meminisse, quę habebantur Romę (vt ita loquamur) in Orbis totius oculis, causam & originem controuersię in scripta Molinę refudit, non quod Molina anno illo 1603. exeunte primum scripsisset, sed quod necessarium foret hoc subijcere, vt narratio texeretur: & videat lector miram auctoris cùm D. Matthæo consensionem; neuter enim, ortæ discordiæ annum designat, sed vterque absolutè ex scriptis Molinæ illam ortum habuisse pronunciat. Aduertat etiam, qua ratione verba au-

ctoris ex thesi 6. num. 16. truncauerint: dixerat auctor, incalescentibus in disputatione animis Patres Ordinis Prædicatorum dicunt theses esse erroneas : isti abstulerunt illas particulas, *in disputatione*, forte vt postea num. 18. veriorem causam discordiæ dicerent Zelum & æmulationem, quod quanta fide, quantaue charitate condiatur, ipsi viderint. Profectò animos in disputatione posse incalescere absque Zelo & æmulatione, imò citra vitium & indecorum omnes vident; quod tamen extra disputationem minimè deceret.

Tertio conqueruntur siue dicunt eandem cum prædictis firmitatem habere, quod narrat auctor de Antonio de Padiglia.

Verùm præterquàm quod huius rei testem produxerat auctor Dalmatium Amatum in sua relatione Hispanica anni 1594. possunt etiam consulere alium haud suspectæ fidei, vt potè hominem suæ Societatis (quod infrà apertissimis euincemus argumentis) Paulum Leonardum p. 3. num. 20. qui idem narrat.

Quarto conqueruntur num. 17. quod cum auctor narrasset ex concordia Molinæ ortam discordiam, maximè quia Molina dixerat Augustinum esse sub caligine, non attendisse ad rem, ex eius sententia turbatos esse viros eximios, &c. nullum huius rei testem protulerit nisi Molinam ipsum : quasi verò (inquiunt) dum scriberet, ipse vaticinatus fuerit & narraverit ventura tanquam iam facta, ac testimonium contra seipsum dixerit.

Hic rursum fidem repreheńsorum & oculos lectorum desideramus. Viderint lectores an nullum alium testem nisi Molinam auctor citauerit ortæ ex Molinæ concordia discordiæ, idque potissimè ob verba minùs reuerenter aduersus Augustinum prolata : Nam distinctissime citatur ad marginem vtriusque rei testis D. Matthæus, qui disertissimis verbis vtrumque narrat, vt videre est apud ipsum, & infra patebit, dum totum & integrum locum repræsentabimus. Vt autem exprimeret auctor, quænam illa essent, quæ (ne duriùs loquamur) audacter nimis Molina de Diuo Augustino oblocutus fuerat, Molinæ loca designauit in quibus illa profert : & quamuis dixisset auctor Molinam & contra seipsum dixisse testimonium, dum nouam suam opinionem & à nemine anteà traditam asserit, & vaticinatum esse de futuris quasi iam præteritis, dum ex gestis Salmanticæ anno 1581. & Louanij 1586. debuit prudenter conjectare quæ ventura essent, nihil planè non verosimile protulisset. Quia verò non fideliter repræsentatam Molinæ phrasim infra conqueruntur, lubet loca Molinæ integra subjicere, & posteà locum D. Matthæi. Molina itaque in concordia qu. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. §. quod ad August. ait:

Quocirca si meum hac de re iudicium quicquam ponderis habet, suspicor Augustinum & D. Thomam (qui Augustini vestigia est secutus) sua illa opinione illud primum solum intendisse potissimum, neque aduertisse quantum ad auferendam duritiem illam aliam, quam minimè intenderunt, conduceret additio illa, quam nec negarunt, nec negassent si de ea fuissent consulti. Interim verò, DVM SVB EA QVASI CALIGINE DIVVS AVGVSTINVS AD HOC NON ATTENDIT, *arbitratus primo aspectu cum sua de prædestinatione opinione esse coniunctum, Deum non velle omnes vniuersim homines saluos fieri, sed solos prædestinatos, in multis suæ doctrinæ locis, ita illum locum Pauli primæ ad Timoth. 2. interpretatus est, vt de solis prædestinatis intelligeretur.* Ecce quomodo Molina dicat Augustinum dum sub quasi caligine (quia videlicet non aduertit auferendam esse illius opinionis duritiem) ad hoc non attendit malè interpretatum esse locum illum D. Pauli. Ibidem membro vltimo loquens de eadem Augustini explicatione in eundem locum D. Pauli, ait: *Quæ doctrina plurimos ex fidelibus præsertim ex ijs qui in Galliâ morabantur, non solum indoctos, sed etiam doctissimos viros, atque in Episcopali dignitate constitutos, mirum in modum turbauit, ne dicam illius occasione salutem eorum fuisse periclitatam. Ne enim huiusmodi doctrinæ adhærerent, hæresi potiùs Pelagianæ ex parte assentiendū putabant.* Hæc Molina.

D. Matthæus Historiæ septem annorum pacis tomo secundo.

Multum interest famæ Romanæ ciuitatis (quæ olim diua vocabatur, hodieque nomen sanctæ obtinet, quod præ cæteris maiori constantia doctrinæ integritatem conseruarit, & quæ est in Ecclesia, quod pupilla in oculo & ratio in anima) ne patiatur quæstiones absque vtilitate curiosas, quæ nulla alia pollent auctoritate, quàm priuatis quorundam nimis præsumentium phantasiis, qui vt sagacitatem ingenij promant, temeritatem produnt, seseque æquè ridendos exponunt, quam Megabysus fecerit, dum de linea & vmbris in officina Apellis discurreret.

Summus Pontifex, cui cura doctrinæ fidei commissa est, qui controuersiarum Iudex est & arbiter, ferre non debet quod in tam eleganti vultu verruca vlla emineat, aut nodus quidam intersecet rectum habitum, & dispositionem cedrorum, quæ supra libanum eleuantur, aut quod macula quæcunque, albugo, vel defluuij quippiam illi oculo hæreat; veritas enim & antiqua doctrinæ ipsius auctoritas mirum in modum læditur, dum quædam ingenia contentioni & diuisioni nata conantur in disputationem deducere res adeò claras, toties decretas & confirmatas. Sed sunt qui à disputatione abstinere nequeunt, & qui tantum voluptatis capiunt in perfricanda proprij cerebri prurigine, vt si audirentur, omnia essent disputationi obnoxia; nulla esset veritas, cui non altera veritas opponeretur, nulla ratiocinatio, quæ non alia æqualis momenti ratiocinatione oppugnaretur.

Iesuita quidam excitauit quæstionem audacem nimis in tota Ecclesia Catholica, sed audacißimam Romæ, quod scilicet non esset de essentia fidei credere Clementem VIII. esse verum ac legitimum D. Petri successorem. Coniectus propterea fuit in carcerem. Et nisi Legatus Regis Hispaniarum intercessisset, peiora esset expertus probassetque corpus sæpè meritò posse conqueri de animo propter labores, quibus subeundis illud exponit.

Alter Iesuita promulgauit propositionem quæ insolens existimata est ob periculum nouitatis & consequentium, scilicet quod confeßio fieri posset per litteras, & per internuncios. Hi turbines ex parte causam præbuerunt Suari Doctori Iesuitarum eundi Romam.

Fuit & tertia orta ex scriptis Molinæ Iesuitæ de concordia gratiæ & liberi arbitrii, qui dicebatur propugnare plusquam mediam partem hæresis Pelagianæ, & qui audacter nimis locutus fuerat contra sententiam D. Augustini, quæ nihilominùs est fides Ecclesiæ in his quæ ad gratiam & liberum arbitrium pertinent.

Fratres Prædicatores qui primas Theologiæ cathedras in Hispania & Lusitania obtinent. dicebant opinionem Molinæ erroneam esse, Lemos quem arbitrantur nulli cedere in doctrinâ, multum laborauit vt hoc probaret. Quæstio disputata fuit coram summo Pontifice, Cardinalibus & Generalibus Ordinum qui Romæ resident. Reiicienda est in annum sequentem definitio harum quæstionum: videbitur an summi Pontificis iudicium hominem libero arbitrio fortiorem efficiat, quàm gratia Dei. Vidi ego literas Cardinalis Baronii manu propria scriptas ad D. Petrum de Villars Archiepiscopum Viennensem verè alterùm Galliæ Hilarium, & quem tantus ille Cardinalis vocat lucernam pedibus suis dum per obscura Theologiæ contigerit ambulare, & sanè ab omnibus habetur ex doctißimis totius Ecclesiæ Episcopis. Conqueritur ille quod Molina quæstionem excitârit, quæ Ecclesiæ Catholicæ non erat opus. Atque sub finem ait, quod licet diligat & colat ex animo Iesuitas, sibique iniuriam reputet quidquid eos offendit, nihilominus eos admonuit ne famam suam discrimini defendendo Molinam exponant.

Ad marginem verò ipsa verba epistolæ Cardinalis Baronij sic refert. *Vale Pater amantißime ac doctißime, lucerna pedibus meis, dum per obscura Theologiæ contigerit ambulare. Monui R R. P P. meos Societatis Iesu ne existimationem suorum in defensione librorum Molinæ periclitari sinant, & in discrimen adduci. Colo ipsos omnes vt Patres, Deus sit, vt de ipsis illud vsurpem : opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Ecce integrum locum Matthæi.

Numero 18. recriminantur, & dicunt primò, quòd si ea potuit esse causa discordię, quidni Thomistis potius imputatur, qui nihil obstante Augustini luce, tantam esse fatentur huius concordię caliginem, vt

captiuandus sit intellectus, sicut in obscurissimis Trinitatis & Incarnationis mysterijs?
Resp. Rationem esse quia Augustinus ipse eodem modo censet captiuandum in hac concordia intellectum. De Spiritu & littera cap. 34. *Iam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur vt persuadeatur, illi autem non ita, duo solùm occurrunt interim quæ respondere mihi placeat. O altitudo diuitiarum! &c. Nunquid iniquitas apud Deum? cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caueat ne inueniat præsumptores.* In eundem sensum loquitur de corrept. & gratia cap. 8. & in infinitis propemodum aliis locis, in quibus ferè semper adducit illud D. Pauli ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum, sapientiæ,* &c. quæ verba Ecclesia vsurpat in festo Sanctissimæ Trinitatis ad significandam obscuritatem tanti mysterij, vt mirum non sit, si qui D. Augustinum magistrum agnoscunt, vsum Ecclesiæ cum Augustini doctrina conferentes, obscuritatem concordiæ liberi arbitrij cum prædestinatione & gratia obscuritati mysterij Trinitatis comparent, & in vtroque captiuandum intellectum pronuncient.

Dicunt 2. cur nullam peperit discordiam, quod Bannez ait, si Augustinus voluisset attendere malitiam huius consequentiæ, nunquam posuisset quod, &c?
Resp. Idcirco hoc nullam peperisse discordiam, quia licet durius locutus sit Bannez, hi tamen qui eandem cum Banne doctrinam tenent, non ij sunt qui omnes eorum quos sequuntur lapsus & errata velint pro aris & focis excusare atque deffendere: quod idem si oppositæ partis fautores præstitissent, nulla vnquam orta fuisset ex noua Molinæ doctrina discordia.

Ne autem quis horreat ad dictionem illam (*malitiæ*) in dicto Bannesij, consideret illum solùm velle consequentiam illam, qua infertur omnes reprobari propter solum peccatum originale, ex eo quod aliqui propter illud solum reprobentur, non esse bonam & legitimam, & hoc est quod Bannez ait, D. Aug. noluisse attendere.

Tertio dicunt cur nullam quoque discordiā peperit, quod Prosper & Hilarius in suis ad Augustinum epistolis narrant?
Resp. Quia Prosper & Hilarius id scribebant Augustino priuatim, non vt illum impugnarent, sed vt monerent, quantum immineret periculi ex aduersantium auctoritate, idque ante damnatos Semipelagianos, quos proindè nolebant tanquam hæreticos debitis honorum titulis spoliare, sed tanquam Catholicos colere Molina verò vocans Semipelagianos illos viros fideles & Catholicos, id scribebat aduersus Augustinum, idque publicè impugnando eius doctrinam,

etiam post damnatos Semipelagianos, quos non debuit vocare fideles, & ita commendare, cùm jam damnati omni penitùs honore excidissent.

VII. Thesis Qvæst.

RES ad Clem. 8. defertur 1597. *a* Societas tota defensionem Molinæ suscipit *b*, quamuis oppositum suaderent domestici *c* & extranei vt Cardinalis *d* Baronius. Pontifex statuit consultores, Illustrissimum Cardinalem Ludouicum Madrutium Episcop. Tridentinum qui Trid. interfuerat, F. Propertium Restam de Iulleacotio Ord. Min. Episc. Geruntin. & Caritaten. F. Iulium Santuccium de Monte Polit. Ord. Min. Episc. S. Agathæ Gotth. D. Lælium Lanū Sueff. Episc. Neritonensem. F. Hyppolitum Senen. Seruit. Episc. Montispelosij, F. Gregorium Nunnes Ord. Eremit. S. Aug. F. Ioannem Antonium Bouium Carmel. D. Iacobum le Bossu Gallum Ord. S. Benedicti Doctorem Sorbonicum, Dominum Ludouicum du Creil Doct. Sorb. quibus additi posteà sunt Fr. Ioannes Rada Procurator Generalis Ord. Min. post Archiepiscopus Tranen. F. Ioan. Piombino Proc. Gener. Ord. S. Augustini, & Fr. Hieronymus Palentierus Ord. Min.

Circa hanc thesim. 7. multa dicūt in quibus se triumphare arbitrantur. Primò citationem marginalem reprehendunt, quia Petrum Matthæum auctor citauit in testimonium, quòd domestici Societatis censebant Molinæ sententiam non esse nomine totius Societatis defendendam. Et certè error Typographi fuit qui cum in margine litera c. debuisset apponere, (*ibidem*) apposuit (*Idem ibidem*) Illa autem particula (*ibidem*) non denotat citationem ex Petro Matthæo, sed ex Actis congregationis, vt potè vltimò citatis. Ne autem ob defectum testium conquerantur, consulant Marianam de regimine Societatis cap. 4. id expresè dicentem, consulant Fuligatum & Syluestrum Petra sancta vitæ Card. Bellarmini lib. 3. cap. 3. idem non obscurè subindicantes. Et Henricum Henriq. de vlt. fine hominis cap. 4. §. 2. in Comment. lit. C. Idem si opus fuerit alijs testibus etiam domesticis comprobabitur.

Secundo reprehendunt quod Baronij verba truncauerit.

Verum non debuit præsertim chartæ angustijs (vt apparet) prohibitus, afferre omnia, sed ea dumtaxat quæ rem relatam probarent. imò (ne quid dissimulemus) peccauit auctor quæstionis: debuit omnia repræsentare, vt affectum Baronij erga Societatem ostenderet, & ex illo tale deduceret argumentum. Si Baronius tanto affectu Patres

a D. *Matth. to. 2. hist. 7. ann. pacis.*
b *Idē & act. Congr.*
c *Ibidem.*
d *D. Mat. cit. referens fragmentum epist. Card. Baronij ad Archiepisc. Vienn. D. de Villars, quod sic habet Monui RR. PP. Societatis Iesu ne existimationem suorū in defensione libror. Molinæ periclitari sinant, & in discrimen adduci.*
e *Acta Cong.*

Societatis prosequens monet illos, ne se defendendo Molinam periculo exponant, profectò non tutam, neque vt D. Augustini mentem, sed potius vt ipsi sancto Doctori aduersam debuit censere Molinæ opinationem. Quod verò Baronius securior futurus esset si vitam produxisset, an diuinare sit, viderint Lectores. Nos enim in animum nunquam inducere poterimus, tantum Principem hæc scripsisse ex solis rumoribus, præsertim cum iam Purpuratus pater ipse Romæ degeret: Sed post diligens examen ac prudentem causæ discussionem tale monitum ad Patres Societatis direxisse.

Tertiò asserunt n. 20. mendacium esse, quod ait auctor, totam Societatem suscepisse defensionem Molinæ, neque id docere Petrum Matthæum ab auctore citatum.

Verum huius dicti veritatem tuetur Fuligatus siue Syluester Petra sancta in vita Cardinalis Bellarmini loco citato dicens. *Quam* (scilicet Molinæ sententiam) *etsi aliqui, eo quod ex vnius priuati scriptoris nata ingenio erat, minimè censebant defendi debere à Societate vniuersa: attamen ij qui tum præerant aliter deliberarunt.* Idem testatur Mariana citatus. Idem Paulus Leonardus Iesuita passim. Idem colligitur ex Matthæo, quatenus asserit vtriusque Ordinis Generales, Prędicatorum & Societatis, interfuisse disputationibus illis, quæ coram summo Pontifice habebantur.

Quarto dicunt se expectare quam auctentica esse probentur acta Congregationum quæ protulit auctor; Verum vbi negauerint non deerunt probationes: interim hæc habeant. Licuit iamdiu. P. Sirmōdo, licuit alijs Criticis è veteribus membranis antiquorum libros situ & squalore obsitos publici iuris facere, eisque sat superque auctoritatis conciliare ex eo quod quædam loca ab antiquis aliquibus citata, cum ijs quæ manuscriptis illis codicibus continebantur, conuenire ac consonare ostenderint: imò licuit Bartholomæo Perez Iesuitæ ingentia illa quæ circumferuntur Salmeronis volumina post viginti annos ab eius obitu anno 1602. impensis totius Societatis à tineis & blattris vindicare, ac typis mandare nullâ aliâ probatione adhibitâ, quod ipsa genuini essent Salmeronis fœtus, nisi quia ipse sic profitebatur. Denique licuit P. Paulo Leonardo Iesuitæ multa ex manuscriptis, quorum fides nullo modo probari potest, in hanc ipsam causam in suis responsionibus allegare. Profectò si multa ex iis quæ ex actis ab auctore narrantur & cum scriptis D. Le Bossu Doctoris Sorbonici, & cum variis quæ ab auctoribus etiam Societatis citantur, locis etiam de verbo ad verbum conuenire probentur, nonne tantam fidem mereri videntur, quantam illa quæ P. Sirmondus & illi alii pro-

tulere ? Adde quod plura illorum actuum capita manu Notarii Apostolici Romani subscripta nobiscum viderunt Illustrissimi Praelati & viri doctissimi.

Quinto petunt explicandum num de iisdem actis loquantur D. Penna, & D. le Bossu Doctor Sorbonicus Ord. S. Benedicti.

Resp. Quandoque de iisdem, quandoque de diuersis vt constabit ex statim dicendis.

Sexto reprehendunt quod in actis Congregationum habitarum absente Pontifice inseruerit auctor protestationem Valentiae, cum in huiusmodi conuentibus partes nec interessent nec audirentur.

Verùm patet haec esse falsa ex Paulo Leonardo Iesuita p. 3. num. 35. & ex infra dicendis. Et quamuis daremus partes neque interfuisse, neque fuisse auditas. An non scripto potuit Valentia protestari ? multa siquidem scripto vtramque partem exhibuisse constat ex eod. p. 3. num. 22. & alibi.

VIII. Thesis Quaest.

HI, à die 2. Feb. ad 13. Martij quolibet die conueniunt, bis verò in hebdomadâ reliquo anni 1598. 50. *a.* Molinae propositiones notant. idem fit 1599. coram Illustriss. Madrucio, Bernesio, & Bellarm. Card. Madrucius moritur 1600. Conqueruntur Molinistae se non fuisse auditos. Nunnes concinnat Censuram Consultorum, qui mandato Sum. Pontificis iterùm 1601. congregantur ad 22. Ianuarij. Valentia protestatur nolle se opiniones Molinae vt veras tueri, sed vt minimè censurâ dignas. Iunij 17. conueniunt Consultores super examinanda Censura aliàs facta in 14. propositionem Molinae, & post longam & exquisitam disceptationem, omnes (vno aut altero excepto) in censura persistentes affirmarunt scientiam mediam fuisse à Molina assertam, & inuentum scientiae mediae fuisse à Massiliensibus excogitatum ad extenuandam gratiam effectricem bonae voluntatis.

a *Acta Cong. scripta à D. Franc. Penna Rota Decano, & à D. le Bossu Doct. Sorb. & alijs.*

Huius octauae thesis reprehensionem moliuntur num. 6. & 7. in his multa dicunt quae ex sola rerum gestarum narratione penitùs euanescent. Itaque Clemens VIII. ad se causam euocat anno 1594. mox vsque ad annum 1597. inclusiuè scripta vtriusque partis à priuatis Theologis discuti vult sic Paulus Leonardus Iesuita parte prima numero 32. Anno 1598. indicit partibus vt Romam veniant. Instituit Congregationem de auxilijs. Idem ibidem n. 27. & D. le Bossu Doctor Sorbonicus ad notam 1. cap. 1. Celebrantur Congregationes à 23. Ianuarij vsque ad 13. Martij. Idem Leonardus ibidem. Deinde Censores reuident gesta conuenientes bis in hebdomada vsque

ad 26. Nouemb. quo die PP. Societ. Molinam defensuri adueniunt. Ita memoriale Patrum Societatis exhibitum Clementi 8. Illi vbi aduenere conqueruntur se non fuisse auditos. Iubet Pontifex partes conuenire in æde Cardinalis Madrucii anno 1599. cœperuntque die 22. Februarij. Sub finem Martij Madrucio adiunguntur Cardinalis Asculanus ex Prædicatoria familia, & Bellarminus ex Societate. Ita idem Leonardus ibid. n. 35. Cumque habitis multis Congregationibus nihil quod momenti esset concluderetur, inquit Leonardus ibidem, Pontifex post mortem Cardinalis Madrucij, quæ contigit mense Aprili 1600. jussit Censoribus vt solerter reuiderent gesta præcedente triennio sub Cardinali defuncto, indeque codicillum conficerent, ipsique Pōtifici exhiberent, quod & præstitere initio Septemb. 1600. Ita D. Le Bossu Doctor Sorbonicus ad notam 12. & 13. 1. p. primi capitis: recepto codicillo Pontifex jubet, vt duo Theologi vtriusq; Ordinis ad reuisendam censuram Consultorum coram Asculano & Bellarmino conueniāt, quod duabus dumtaxat vicibus gestum est, vt refert memoriale PP. Societatis exhibitum Clementi VIII. Iterùm ergo iussu Pontificis anno 1601. Consultores die 22. vel 23. Ianuarij coëunt audituri partes scripto ac viua voce disceptantes. Disputant pro fratribus Prædicatoribus P. Didacus Aluarez & P. Thomas Lemos: pro Societate P. Christophorus de Las Escobos, & P. Petrus Arrubal initio, & paulò post P. Gregorius de Valentiâ, cui à Generali Societatis impositum est hoc ipso anno præceptum vt Molinam defenderet. Ita D. Le Bossu ad notam 14. prima p. 1. cap. Anno autem sequenti 1602. mense Februarij decreuit Sum. Pontifex disputationes se præsente inposterum habendas, quod & factum est sub Clem. VIII. & Paulo V.

Ex his iam facillimum est omnia soluere quæ obijciunt n. illo 6. & 7. ac conciliare contradictiones quæ inter harum rerum narratores intercedere videntur. Itaque primis Congreg. anni 1598. neutra partiū interfuit; anno 1599. ambæ partes interfuerunt. Anno 1600. duo Theologi ex quolibet duorum Ordinum duabus dumtaxat vicibus vnà conuenerunt. De his omnibus conuentibus nihil ferè dicunt D. Le Bossu Doctor Sorbonicus, D. Penna, & Ioannes à sancto Thoma. Congregationes anni 1601. quibus partes intererant audiendæ absente Pontifice, enumerat Franciscus Penna sicut & alias præsente Pontifice habitas, quamuis priores non potuerit videre Frater Ioannes à sancto Thoma: Vtrarumque etiam frequenter meminit D. le Bossu. Priores anni 1601. dicit Ioann. à S. Thoma, quamuis subdubitanter, fuisse 47. posteriores verò fuere in duplici differentia, vt docet mani-

festè D. le Bossu Doctor Sorbonicus Ord. sancti Benedicti passim, sed præsertim p. 1. 1. cap. ad notam 10. & cap. 1. ad notam 11. & D. Penna. Aliæ siquidem fuerunt in quibus partes præsente Pontifice & Consultoribus disputabant; aliæ in quibus Consultores de disputatis ferebant iudicium: primi generis fuere Congregationes 37. sub Clemente VIII. & 10. sub Paulo V. secundi vero generis fuere sub Clemente VIII. 31. sub Paulo V. ad minus 8. ita vt Congregationes omnes sub his pontificibus habitæ in ipsorum præsentia fuerint ad minus 86. quamuis auctor non meminerit nisi 82. quia non meminit sigillatim omnium habitarum sub Paulo V. præsertim post disputationes partium & judicia censorum, post quæ Paulus V. habuit Congregationes de modo decidendi & aliis appendicibus.

His positis jam constat nullam intercedere pugnam inter dicta auctoris, & Fratrem Ioan. à S. Thoma. Quando enim Ioan. à S. Thoma dicit fuisse 47. pontifice præsente, loquitur tantùm de Congregationibus in quibus partes disputabant anno 1602. & sequentibus. Quando verò auctor etiam 82. enumerat præsentibus summis pontificibus & alias plures illis absentibus, loquitur de Congregationibus habitis ab anno 1598. etiam de ijs in quibus Censores judicia ferebāt de disputatis. Quando Ioan. à sancto Thoma dicit in 34. Congregatione latam fuisse à Consultoribus censuram aduersus scientiam mediam, loquitur de Congregationibus anni 1601. quando auctori illa eadem deberet esse supra ducentesimam, verissimum id esse potest, si habeatur ratio omnium ab anno 1598. habitarum. Quando Ioan. à sancto Thoma computat 37. sub Clem. VIII. & in eius præsentia, loquitur de Congregationibus disputationum. Quando verò auctor enumerat coram eodem pontifice vsque ad numerum 68. loquitur tam de Congregationibus in quibus partes disputabant, quàm de iis in quibus seclusis partibus Censores suffragia ferebant. Quando Ioannes à sancto Thoma docet post 35. non esse amplius actum de scientia media, loquitur de 35. disputatione. Quando auctor dicit de illa scientia actum esse in 63. & 64. loquitur numerando omnes tam disputationum quàm judiciorum. Denique quando Ioannes à sancto Thoma dicit in tribus dumtaxat Congregationibus actum esse de scientia media, id debet intelligi esse in tribus tantum de illa disputatum. Quando verò auctor sex numerat in quibus de illa actum fuit, loquitur de tribus Congregationibus disputationum, & alijs tribus judiciorum, quæ ferebantur tum de ipsa scientia media, tum etiam de rationibus, quibus illam PP. Societatis probabant.

Et sic euanescunt omnia, quę reprehensores obiiciunt num. 6. & 7. Vnum est quod video posse obiici ex num. 28. quod scilicet narrat Card. Perronius in literis ad Regem Christianissimum 8. Martii, nempè Pontificem eo die aliquorum Cardinalium sententias rogasse de quibusdam quæ fuerant in disputationibus agitata : quid autem necesse fuerat (inquiunt) Cardinalium seorsim sententiam exquirere, si iam fuerat publicum ea de re iudicium? Enim verò fidem hic reprehensorum desideramus in transferendis verbis Cardinalis Perronij, quæ sic habent. *Hodiè Sum. Pontifex voluit colligere vota Cardinalium, qui prædictæ Cōgregationi intersunt circa quosdam articulos in ea tractatos, ad quod vt me disponerem, oportuit me duos præcedentes dies impendere.* Quamuis autem modica videatur variatio, dum aduersarii dicunt voluisse Pontificem eo die Cardinalium rogare sententias de quibusdam articulis in Congregatione disputatis; facile tamen erit coniicere quanti momenti sit mutatio, si attendantur præmissa, scilicet Pontificem post disputationes celebrasse Congregationes de modo decidendi & aliis huc spectantibus Et hæc tunc agebantur dum scriberet Cardinalis Perronius, vt constat ex actis. Non ergo ait Perronius Pontificem rogasse sententias Cardinalium de disputatis, sed de propositis & ventilatis 6. Martii; scilicet de modo decidendi & aliis huc spectantibus. Quare nullius est roboris obiectio quando inferunt non fuisse necesse vt iterùm Senatorum Ecclesiæ suffragia colligerentur, si iam fuerat publicum ea de re iudicium: rogabantur enim vota de aliquo alio diverso ab iis, de quibus fuerat publicum iudicium. Rogabātur de modo decidendi; publicum fuerat consultorum iudicium de articulis disputatis. Circa hanc thesim est quod auctores monitos velimus, scilicet reprehensores malè illam auctoris particulam (*idem fit anno* 1599.) retulisse ad hoc, quod paulò ante dixerat ipsos consultores conuenisse bis in hebdomada: non enim ad hoc refertur sed ad ea quæ immediatè præcedunt, videlicet, 50. *Molinæ propositiones notant* : ita ut sensus non sit, consultores anno 1599. bis in qualibet hebdomada conuenisse, sed dumtaxat illos eo anno 1599. etiam notasse censura Molinæ propositiones.

IX. Thesis Quæst.

Similiter propositionem Molinæ negantis præmotionem & dicentis primam causam non influere in secundam, censuerunt Consultores non posse defendi ex scopo Molinæ, qui illi videtur communis cum Pelagio idem sentiente, vt sibi viam sterneret ad negandum gratiæ influxum in pias operationes, quem putabat stare non posse cum liber-

libertate *a*. Circa hæc tempora Romæ publicè tuentur Molinistæ non esse de fide Clementem VIII. esse Sum. Pontificem *b*. Dicunt ipsum posse errare *c*. Cassianum excusat Stephanus Tuccius *d*. Societatis. Pro Fausto Apologias cudunt *e*. 1602. Feb. 17. Pontifex monet Illustriss. Arigonium & Burghesiũ, Consultores præfatos, & Archiepiscopum Armacanum Pet. Lombardum, & Episcopum Aquileïensem, vt adsint disputationibus, quibus ipse Sum. Pontifex interesse & præesse vult, *f*. Dicunt Molinistæ se à D. Thoma discedere, *g*. non obstantibus eorum statutis, *h*.

Aduersus nonam istam thesim multis modis insurgunt num. 2. 4. 5. 21. 22. & 23. quam & mendaciorum nidum vocant. Vt igitur congruo ordine procedamus singulas illius nonæ thesis particulas sigillatim propugnabimus. Sic igitur arguunt. Refert auctor Consultores censuisse propositionẽ Molinæ de prima causa non influente in secundam defendi non posse ex scopo Molinæ, qui illi videtur cõmunis cum Pelagio: Atqui hoc verũ esse nequit, quia Molina (inquiunt num. 21.) non negauit talem influxum, sed dumtaxat Thomisticum illum, &c.

Respondemus reprehensores istos nihil aduersus auctorem moliri. Agit auctor ibi historicum non Theologum: refert gesta in Congregationibus, nõ dicta Molinæ examinat, vel ex proprio marte profert. Debuerant reprehensores narrationem illam falsitatis accusare, cuius tamen testes sunt D. le Bossu Doctor Sorbonicus p. 1. 1. cap. ad notam 12. & 13. & acta Congregationum, quæ sic censuram de verbo ad verbum referunt *Inspecto P. Molinæ scopo & quod similiter philosophatur de concursu gratiæ coadiuuantis, quem dicit non esse concursum immediatum in liberum arbitrium vt in causam, quasi prius eo concursu motum ac à Deo ad agendum applicatum tales actus eliceret, scilicet fidei & spei & charitatis supernaturalis, sed esse influxum immediatum Dei in actus ipsos vnà cum libero arbitrio, idque propter rationes quibus id ipsum docuit disputatione 25. de concursu vniuersali ad effectus naturales: perpensâ eâ potissimè ratione, quâ ductus discessit à communi doctrina, ne videlicet tolleretur arbitrij nostri libertas, videtur non discedere à semitis Pelagij, qui vt gratiam diuinam tolleret idem iecit fundamentum, suamque assertionem eâdem ratione probare nitebatur, ne scilicet arbitrij libertas tolleretur, vt videre licet apud S. Hieronymum Epistola ad Ctesiphontem.* Hanc censuram exhibuit Congregatio Patribus Societatis anno 1601. in die Conuersionis S. Pauli 25. Ianuarij, vt contra illam Molinam defenderent, quod & fecerunt: sed vt narrat D. le Bossu loco citato, quia illorum probationes visæ sunt Congregationi deficientes, ipsa permansit in sua censura.

At inquies, esto verum narraverit, ruit nihilominùs hæc censura,

a *Eadem acta.*
b *D. Matth. loco sup. cit.*
c *Academiæ Gal. exorat, Domini du Harlay.*
d *Ex notis Tuccij ad Caßian.*
e *Ex Baron. to. 6. & aliis.*
f *Acta Congregationis.*
g *In libello de ratione studiorum cap. de delectu opinionum Regul. 11.*
h *4. parte c. 14. §. 1. & in Congreg. generali can. nono.*

si Molina id non dixerit. Profectò rueret, sed nihilominùs staret veritas narrationis, nec vel minimum auctoris fides vacillaret. Molinam autem hæc dicere concesserunt feriâ quintâ die primâ Februarij anni 1601. in Congregatione tertiâ, qui illum defendebant, idque probarunt Censores 1. ex disp. 26. concordiæ quæ est 27. editionis Antuerpiensis §. dicendum, vbi formaliter hæc habet. *Concursus Dei generalis non est influxus Dei in causam secundam, quasi illa priùs eo mota agat & producat suum effectum, sed immediatè cum causa in illius actionem, & effectum.* Probarunt 2. ex commentarijs in 1. p. q. 14. ar. 13. disp. 6. §. dicendum & disp. 7. §. item. §. præterea. §. adde & §. attende: in quo vlt. §. eodem modo dicit se habere influxum gratiæ ad operationes fidei spei & charitatis supernaturalis: ac proinde negat influxum diuinæ gratiæ esse influxum Dei in liberum arbitrium, quasi illud priùs eo motum agat & producat hos actus.

Neque verò valet excusatio, quâ dicunt ipsum dumtaxat negare influxum primæ causæ in secundam Thomisticum, &c.

Quid enim intelligunt nomine Thomistici influxus? An illum quem D. Thomas docuit? an verò illum tantùm, quem ipsi asserunt de nouo inuentum à Discipulis sancti Thomæ? Hoc 2. dici nequit, nam exerto ore Molina in dicta disp. 26. & 1. p. citatâ disp. fatetur D. Thomam 1. p. q. 105. à 5. influxũ illum quem ipse Molina negat, admittere, sicut & Ferrariensem in 3. contr. Gentes cap. 70. neque vllum alium vnquam admisere Thomistæ recentiores, quamuis illũ coacti fuerint vocare prædeterminationem physicam, vt melius antiquam rem nouo nomine aduersus nouellas opinationes explicarent, quam denominationem & ipsi Patres Societatis in Congregatione 4. sub Paulo V. dixerunt esse optimam, si aliundè constaret dari influxum Dei in causam secundam, quo Deus illam verè, propriè actiuè nedum moraliter moueat.

Quod verò aiunt reprehensores per gratiam cooperantem causam secundam moueri iuxta Molinam, nescimus quomodo intelligant, nam moueri est mutari, atque adeò aliquid de nouo recipere, quod antea non habebatur: per gratiam cooperantem causa secunda non mutatur, cum illam non recipiat, quia illa iuxta Molinam non est influxus in causam sed in effectum. Quomodo ergo id intelligunt?

Secunda particula thesis 9. impugnatur à reprehensoribus nu. 22. Dixit in illa auctor; *Circa hæc tempora Romæ publicè tuentur Molinistæ non esse de fide Clementem VIII. esse Summum Pontificem*, idque retulit ex D. Matthæo: atqui (inquiunt reprehensores) Matthæus tantum refert vnum Iesuitam negasse id esse de essentiâ fidei, & quæsitor non de-

buit nescire iuxta S. Th. in 3. dist. 24. art. 3. qu. 1. non statim aliquid non esse de fide, quod non sit de essentiâ fidei. Deinde hæc narratio non magis facit ad propositum, quàm relatio mortis Mahometis. Denique ex eâ nihil aliud sequitur, nisi malè cedere Iesuitis, quod Thomistas sequantur, à quibus; Turrecremata videlicet, Caietano & Banne ista ille didicerat.

Verum ad hæc respondetur ad primum quidem Iesuitam illũ, qui negauit non esse de fide Clem. VIII. esse Summum Pontificem, id publicè docuisse, quod Generalis & alij Societatis suo silentio, cum tenerentur loqui, visi sunt approbare, idcircò meritò omnibus imputatum ab Auctore, quod ille vnus fecit: & verò quàm parum benè affecti essent omnes erga Clem. VIII. tanquam omnibus notum referunt Academiæ Galliæ in suis aduersus Iesuitas defensionibus p. 24. Sed mirum quod ad interpretandum locũ D. Matthæi, citant D. Th. in 3. quasi docentem non statim aliquid non esse de fide, quod non sit de essentiâ fidei: atque adeò, cum D. Matthæus solum dicat Iesuitam istum asseruisse non esse de essentiâ fidei Clem. VIII. esse Sum. Pontificem, inferre volunt illum socium non negasse id esse de fide. Obstupuimus sanè ad tam acutam distinctionem, sed vbi D. Th. consuluimus, creuit admiratio, at in aliam partem. D. Thomas eò loci solum explicat celebrem illam Theologorum distinctionem eorum quæ ad fidem pertinent formaliter siue essentialiter, & præsuppositiuè. Sed quid hæc ad propositum? An fortè volunt illam propositionem, *Clemens VIII. est Summus Pontifex*, non esse de fide essentialiter, sed præsuppositiuè. Hoc verò dici nequit, cum ex D. Thom. ibidem illa dicantur de fide præsuppositiuè, quæ non sunt supra rationem humanam cuiuslibet hominis; illa verò propositio omnem omnium hominum rationem superat. Et profectò D. Matthæus ad has Theologorum distinctiones non attendit, sed cum Gallico idiomate dicere non potuisset Iesuitam asseruisse propositionem præfatam non esse articulum fidei, ne hoc intelligeretur de articulis Symboli iuxta communem vulgi captum, aliunde verò ob cacophoniam non posset exprimere Gallicè, non esse de fide, dixit illam non esse de essentiâ fidei: qua tamen phrasi nihil aliud intellexisse, quàm quod illa dicebatur non esse de fide, constat vel ex ipsis reprehensoribus, qui pro eâ sententia citant Turrecrematum, Caietanum & Bannem qui non dicunt illam non esse de essentiâ fidei, sed non esse de fide.

Ad secundum Resp. hoc multum tunc temporis spectasse ad quæstiones de auxilijs, in quantum PP. Societatis sentientes Clem. VIII. propendere ad definitionem contra Molinam, vt expressè docent

Fuligatus & Petra sancta in vita Cardin. Bellarm. lib. 3. c. vlt. videbantur velle concutere fundamentum, vt illo ruente vnà ruerent superstructa: conuulsâ siquidem, aut saltem concussâ & vacillante auctoritate Clementis VIII. (sicut nutaret dato quod non esset de fide illum esse verum Pontificem) consequẽs foret vt quæ definijsset, non essent firmæ auctoritatis sed dubiæ & ancipitis. Quare esto aliunde probabilis esset opinio illa, quæ asserit non esse de fide, hunc numero hominem esse Summum Pontificem, nihilominùs in illis quæ tunc intercedebant circumstantijs, id publicè Romæ docere, parum prudentis, & parum benè affecti erat animi, ne quid durius dicamus. Quapropter non malè cessit Iesuitis, quòd Thomistas secuti sint, sed quòd parùm prudenter & mente non admodum syncera quorundam Thomistarum sententias, quando non oportuit, defendere ausi sint. Ex quo patet ad vltimum. Circa hanc eandem particulam est quod lectores aduertant, quod cum auctor dicit, *Circa hæc tempora Romæ publicè tuentur* &c. non hæc eo sensu ab illo dicta sunt, quasi illa omnia, quæ deinceps in illa thesi nona narrantur, eodem anno asserat contigisse, sed solùm quod varijs annis hæc gesta sint ab initio cõtrouersiæ, hoc est ab anno 1588. vsque ad annum 1603. ac sequentes, & lite pendente, vt ita loquamur. Quare planissimus sensus illius dicti constaret additâ vnâ particulâ, putâ si dixisset, circa hæc tempora controversiæ. Hæc si attendas euanescunt in auras quæ mox obijciunt, vt statim constabit.

Tertia particula eiusdem thesis nonæ sic habet. *Dicunt ipsum* (scilicet Clementem VIII.) *posse errare.* Sed (inquiunt num. 23. reprehensores) quis hoc dixit, quando, & vbi ?

Respondetur hoc testatum este Christianissimum Regem Henricum IV. in responsione ad propositiones D. Protopræsidis du Harlay: quod etiam refertur pag. 546. in collectione memorialium statui politico deseruientium anno 1623. edita: Sin minùs hæc ipsis faciant satis, nouerint esse præ manibus nostris dictata, vnius ex celebrioribus Theologis Societ. in quibus docet Pontifices nedum vt priuatos Doctores, sed absolutè loquendo posse errare.

Quarta particula est, *Caßianum excusat Stephanus Tuccius Societatis.* Hoc dictum falsitatis accusant, primò quia annis quatuor ante annũ 1601. Tuccius obierat scilicet anno 1597. Secundò quia toto ante obitũ quinquennio laborauerat morbo omnem omninò scriptionem impediente. Tertiò quia non Stephanus Tuccius Iesuita, sed Henricus Cukius Episcopus Ruræmundensis notas in Cassianum scripsit, vndè neque imago primi sæculi Societatis neque Bibliotheca eiusdẽ,

licet omnia Tuccij scripta edita vel edenda enumeret, notarum in Cassianum quasi à Tuccio compositarum meminere.

Sed horum primum jam concidit: vidimus enim, illam particulam, *circa hæc tempora*, non denotare annum 1601. sed solum tempora controuersiæ, idemque dicendum ad similem obiectionẽ contra particulam sequentem. Et profectò nouimus Tucciũ notas illas in Cassianum scripsisse eodem anno 1588. quo Molina concordiam edidit: quare nec secundum alicuius momenti est. Tertium verò nihil facit: potuit enim vterque & Tuccius & Cukius Episcopus Ruræmundensis in Cassianum notas componere. Quare verò imago primi sæculi Societatis & Bibliotheca eiusdem illarum non meminerunt, non est difficile iudicare, vt scilicet consulerent honori suorũ. Scripsisse verò Tuccium notas in Cassianum ita constans est, vt cum hoc in Congregatione 20. habita die 10. Nouembris anni 1603. Pater Lemos obiecisset, nihil omninò responderint: vnde & eiusdem P. Thomæ de Lemos habentur lucubrationes aduersus prædictas Tuccij annotationes in Cassianum. Et Mariana lib. de mort. & immortalitate cap. 6. & 8. Tuccium videtur indicare, dum vbi dixit sententiam D. Augustini videri nonnullis horridam, addit. Video quæ à Cassiano dicta sunt omnia de gratia & libero arbitrio à viris eruditis (*quinam isti sint non est difficile conijcere*) nostra ætate defendi, quasi pietati consona neque deflexa à fidei regulâ sanctâ. Fortè nonnulli suspicarẽtur prefatas Cukij notas esse easdem cum notis Tuccij, quas cùm non potuissent Romæ eo anno promulgare, posteà sub Episcopi nomine, quo ipsis auctoritatem conciliarent & si quid reprehensione dignum esset totum in Episcopum refunderetur, in Belgio edidere. Neque hoc multum abhorret à quorumdam recentiorum consuetudine, qui libros suos alienis siue fictis, siue veris nominibus insigniunt, vt videre est apud Petrum Aurelium in Anæretico aduersus Sirmondum.

Quinta particula dicit illos pro Fausto elaborasse Apologias, in cuius rei fidem laudauit auctor Baronium tomo 6. qui vt verum fateamur, quamuis id apartè non dicat, videtur tamen subobscurè innuere *ad annum* 490. *Non est*, inquit, *vt pro fausto aliqua possit in eius defensionem vel excusationem Apologia elaborari.* Et paulò post: *Cùm igitur Fausti sententiæ vbique ab Ecclesiâ Catholicâ fuerit contradictũ, videant quanto periculo quidam ex recentioribus, dùm in Nouatores insurgunt, vt eos refutent, à S. Augustini sententiâ de prædestinatione recedant, cùm alioquin arma non desint quibus aduersarij profligentur.* Ac tandem dicit se mirari Faustum ab aliquibus inscribi Sanctum. Si quis autem perpendat Baronium hæc scribentem Romæ anno 1595. vt asserunt reprehensores

num. 2. quo tempore feruere incipiebat controuersia, ex cuius articulis vnus erat de prædestinatione, in quo Molina se à D. Augustino recedere profitetur, idque potissimum, vt dum contra Nouatores insurgendum foret, liberum arbitrium sartum tectum tueri posset, perspiciet profectò fundamenti satis fuisse auctori, quo hæc à Baronio dicta Molinæ ac sequacibus tribueret. Nec verò conquerantur sibi hâc in parte grauem calumniam ex coniecturis inuri, cùm & in Valeriano Cemeliensi, & in alio Semipelagiano, cuius librum nuper P. Sirmondus edidit, ac commendauit, idem contigisse iam notum sit omnibus.

Vltima particula quam impetunt in thesi nonâ, illa est, in quâ auctor sic ait. Dicunt Molinistæ se à D. Thoma discedere non obstantibus eorum statutis. 1. Reprehendunt chronologiam quòd scilicet iam indictis à Clemente disputationibus hoc dixerint in libello de ratione Studiorum, cùm ille tribus ante hæc annis fuisset editus. 2. Quia in eo libello nullum caput est de delectu opinionum. 3. Quia in nullo Iesuitarum instituti libro aliquid est quo se profiteantur à D. Thoma discedere, nisi in quæstione de conceptione B. Virginis, & in aliâ de voto solemni.

Verùm quamuis fatendum videatur, illam particulam non fuisse suo loco repositam, & auctorem inter illa voluisse ordinare, quæ eâdem Thesi refert ante narrationem de indictis disputationibus: nihilominus quia libellus ille de ratione Studiorum etiam vim ac vigorem suum habebat tunc temporis, & P. Lemos illo aliquoties vsus est in Congregationibus, non abs re potuit etiam in illum annum 1602. auctor reijcere, quæ in illo Molinistæ profitebantur, quia statim posteà, vbi Pontifex sequendum in hac quæstione D. Augustinum edixit, non ita apertè ausi sunt dicere sententiam Molinæ militare aduersus D. Thomam, eò quod argumentum fuisset illam non minus opponi D. Augustino, cuius sensa penetrauit D. Thomas & secutus est præsertim in hac materiâ, vt etiam ipsimet Molinistæ agnoscunt, Molina supra citatus, Suar. prolog. 6. de gratia cap. 6. num. 28. Paulus Leonardus Iesuita p. 2. num. 44. & alij: vndè videas illos scribentes ante annum 1602. in hâc ipsâ controuersiâ à D. Thoma vel omninò discedere (vt de Molina iam supra vidimus & infra de Conimbricensibus patebit) vel saltem illi plurimùm derogare, vt de Suare posteà probabitur: & hinc patet ad 1. illorum quæ obijciuntur. Ad 2. verò nonnihil subdubitamus latere æquiuocationis aut restrictionis mentalis, dum aiunt in libello de ratione studiorum nullum esse caput de delectu opinionum. Quid enim si sub alio

nomine putà paragraphi, sectionis, tractatus, &c. delectus opinionum præscribatur ? Aduertendum autem ne alicui parum hâc in re perito imponatur, duos esse libellos de ratione studiorum; alterum qui publicus est & vænalis prostat pro studijs adolescentum, qui Collegia Societatis frequentant informandis: alterum qui domesticis tum Lectoribus, tum discipulis alijsque studiorum præfectis instruendis compositus est à sex Patribus Societatis: & hic non mandatur Typis nisi Romæ in Typographiâ priuatâ Collegij Societatis. Hunc libellum habere vim constitutionis, quamuis id negent reprehensores n. 40. constat ex 5. Congregatione generali can. 9. vbi sic dicitur: *Sequantur nostri Doctores in Scholasticâ Theologiâ doctrinam D. Thomæ iuxta praxim in libro de ratione studiorum ponendam.* De hoc igitur postremo auctor loquitur, cuius fortè manuscriptum transsumptum in quâdam Bibliothecâ (vt audimus) existens auctor viderat; vel certè hæc desumpsit ex Actis Congregationum, in quibus disputatione 46. quæ fuit penultima sub Paulo 5. P. Thomas de Lemos probauit assertionem de præmotione physicâ esse D. Thomæ & nihilominus reijci à Patribus Societatis in dicto libello. pag. 11. tractatu de opinionum delectu in Theologicâ facultate Regulâ 5. Hoc si falsum fuerit, oculis conuinci potest. Libellum illum, qui apud alios non reperitur, protinus exhibeant.

Ad tertium Resp. id videri falsum si fidem habeamus Luisio Turriano Societatis Theologo p. 1. select. disputationum disp. 39. dub. 2. ex Societatis constitutionibus referenti, non solùm excipi duas illas opiniones, de quibus in obiectione, verum etiam caueri prætereà, ne Patres Societatis sequantur D. Thomam in ijs in quibus eius opiniones fuerint malignæ. Quare etiam Valentinus Herice Societatis Iesu Theologus in præfatione ad lectorem, morem illum sequendi D. Thomam vocat cæcam & superstitiosam seruitutem, ipsumque D. Thomam ait esse quidem solem, sed & ipsum quandoque defectum pati, & obscurari obiectâ ex parte nubeculâ. Et Patres Collegij Mussi-pontani, qui præfuerunt editioni Commentariorum P. Iacobi Granado anno 1624. apud Sebastianum Cramoisy Mussi-ponti, laudes doctrinæ D. Thomæ, quas Granado satis fusè prosequebatur, penitùs abstulerunt: quæ nihilominùs habebantur in priori editione Matritensi, & quarum vestigia in editione Mussi-pontana relicta sunt non ablatis (Deo ita permittente) capitum titulis ex indice. Hæc autem omnia minimè apud ipsos licuisse arbitramur, si ex animo D. Thomam vt magistrum sequerentur, & colerent.

MArtij 20. statuit de his Sum. Pontifex decernendum ad mentem D. Augustini. Generalis Societatis & Valentia protestantur se opiniones Molinæ non vt veras, sed vt non erroneas defendere: agunt primò scriptis, mox verbo. Iulij 8. habetur 2. Congregatio, in qua sic exorditur Pontifex. *Nos personaliter vidimus congeriem locorum, quam vos qui Molinam defenditis, ex Augustino induxistis, & nullus inuentus est, qui faueat, imò contrarium tenuit Augustinus, vnde mirum quòd tot artibus vtamini.* Mox disputatum, an dentur in infidelibus veræ virtutes. Affirmabant Molinistæ; negatiuam defendit P. Lemos; in eam eunt Consultores. Die sequenti examinatur Molinæ propositio, *Potest homo viribus naturæ assentiri reuelatis vt reuelatis*; in illam indignatus Pontifex ait : *che è la maggior biasfema, è la piu grande heresia che sia nella Chiesa. Che hanno fatto queste nouita nella Chiesa, che hanno fatto si non perturbarla tutta?*

In hâc Thesi decimâ reprehendenda laborant n. 11. 24. & 25. & primò quidem arguunt quòd auctor inducat Clem. VIII. damnantem Iesuitas antequam audirentur, nondum inchoatis disputationibus.

Verùm patet hoc multum abesse à veritate, bis enim in istâ Thesi inducitur Clem. VIII. increpans Iesuitas, initio & sub finem : de hâc vltimâ vice dici nequit nondum fuisse inchoatas disputationes : cum hoc contigerit sub finem disp. 3. ac proindè jàm Clemens Iesuitas audijsset in tribus disputationibus, vnde legitimè poterat illos de his quę ex illis tribus congressibus resultabant, reprehendere : primâ autem vice illos increpauit Clemens initio Congregationis 2. eo quòd congeriem locorum D. Augustini nihil ad rem facientium ipsi exhibuissent scripto, quod se vidisse ac perlegisse testatus est, non ergo inauditos damnauit quantũ ad hoc Secundò opponunt quod auctor dixerit impugnatam à P. Lemos & à Consultoribus damnatam Molinæ propositionem, *Dantur in infidelibus veræ virtutes.* 1. Quia sequeretur damnatas fore Summorum Pontificum aduersus Bayum & Iansenium censuras, sicut & Sorbonæ aduersus Lutherum, & communis Thomistarum sententia. 2. Quia omissum fuit quod addit Molina, scilicet illas virtutes non esse ad salutem vtiles. 3. Quia Gonçales ipse, qui disputationibus intererat, posteà tenuit eandem sententiam, quod argumento est illam non fuisse damnatam.

His satisfacimus primò negando quod auctor dixerit damnatam à Consultoribus illam Molinæ positionem : solum enim dicit oppositam fuisse propugnatam à P. Lemos & in eam ijsse Consultores, quæ verba nullam damnationem exprimunt, sed dumtaxat ostendũt illam,

vt magis D. Augustino conformem magis arrisisse Consultoribus, qui præsertim de mente D. Augustini iuxta præscriptum Sum. Pontificis inquirebant. Hinc patet multò minus damnatas censuras Pij V. & Gregorij XIII. contra Bayum, vel Sorbonæ contra Lutherum, præsertim cum ex nulla harum habeatur vel colligi possit per legitimam consequentiã esse in Infidelibus veras virtutes: neque id habet communis Thomistarum sententia: imo potius P. Lemos in illa disputatione 2. ostendit oppositum 2. dicimus propositam solum fuisse à Clemente VIII. illam quæstionem. *An secundum Augustinum homo ex naturæ viribus possit agere opus bonum morale ordinis naturalis, quod comparatione vltimi finis naturalis sit verè bonum & veræ virtutis opus.* Affirmatiuam defendebat Valentia, negatiuam Lemos, & hanc prætulerunt Consultores: quare non fuit necesse addere illam Molinæ limitationem, vt potè non additam in propositione quæstionis, & quam à P. Valentiâ ad excusationem Molinæ in dictâ Congregatione additam impugnauit P. Lemos, ex eo quod si ponerentur esse veræ virtutes in ordine ad finem vltimum naturalem, consequens esset vt homo illis præditus rectè se haberet ad illum finem, neque esset auersus ab eo, sed potius ad illum conuersus. Et cum habere nequeat duos vltimos fines simpliciter, scilicet finem vltimum, quem sibi præstituit ratione peccati mortalis, & Deum tanquam finem vltimum quem respiceret ratione illarum virtutum, necesse foret illum ad Deum tanquam vltimum finem simpliciter esse conuersum, ac proinde iustificatum, ex quo sequeretur illas virtutes non esse ad salutem inutiles.

Ad 3. Respondetur falsò citari Gonçalem 1. p. disp. 72. art. 14. Ibi enim solum refert & impugnat sententiã Vasquesij asserentis nullum omnino opus virtutis acquisitæ fieri posse sine auxilio gratiæ per Christum, & dicit contrarium esse omnino certum. Hoc autem longè diuersum est ab eo de quo inquiritur, vtrum tale opus sit opus veræ virtutis & ad finem naturalem vltimum directum simpliciter. Nam ad primum sufficit vt nullâ malâ circunstantiâ vitietur, quod saltem in facilioribus fieri posse sine gratia contra Vasquem docent ferè omnes Theologi: ad hoc vero vt sit veræ virtutis opus in ordine ad finem vltimum etiam naturalem, necessarium est, vt importet relationem saltem virtualem ad finem illum vltimum, quæ relatio est actus amoris Dei super omnia impossibilis viribus naturæ corruptæ.

Tertiò opponunt num. 25. quod auctor referens propositionem Molinæ, *potest quis viribus naturæ assentiri reuelatis vt reuelata sunt*, non addiderit eius limitationem, scilicet, *non tamen sicut oportet.* Verùm iam responsum est 1. Pontificem in proponenda quæstione illã particulam

non apposuisse, vnde nec auctor gesta referens debuit apponere. 2. cum Valentia illam in Congregatione 3. adhibuisset, P. Lemos opposuit quod non potest dari assensus certò exhibitus reuelatis vt reuelatu sunt, quin sit vt oportet, ac supernaturalis; vt potè in obiectum supernaturale formaliter tendens: quare si id appositum fuisset in quæstione, superfluere videretur.

Quartò opponitur num. 11. quod Clementem VIII. Aldobrandinæ domus, atque adeo Etruscæ facundiæ peritissimum auctor induxerit loquentem idiomate Barbaritalico.

Verùm in hoc fidem auctoris mirari potiùs debuere, qui prout inuenit scriptum, ita sine dubio reddidit, & forsan ipsemet Clemens datâ operâ alloquens Hispanos, qui non à longo tempore Romam ex Hispaniâ venerant, vt sese illorum intelligentiæ accommodaret, ita locutus est: adde quod crassiora illa errata non auctoris sed Typographi sunt lapsus, qui apposuit *maior* pro *maggior*; *blasphemia*, pro *biasfema*; *puy*, pro *piu*; *sie*, pro *sia*; *an*, pro *hanno*; *questo*, pro *queste*; *sin*, pro *sinon*; *perturbatta*, pro *perturbarla*. Neque tot irrepsisse mendos in tam pauca verba quisquam mirabitur, si attenderit litterarum quæ mutatæ sunt similitudinem, & correctorum, qui Italicum idioma non nouerant, excusationem.

XI. Thesis Quæst.

a *Acta Congregat.*

IN 4. Congreg. *a*. 22. Iulij disputatur, vtrum homo edoctus assensum supernaturalem esse necessarium, possit illum optare, petere, se disponere viribus naturæ. Eò res deducta, an Pelegiani & Semipelagiani admitterent reipsâ assensum supernaturalem fieri naturaliter, etsi verbis negarent. Affirmatiuam tandem concedit Valentia, & Patrem Lemos volentem subsumere minorem, *atqui idem facit Molina*, audire nolebat. Commouentur Consultores. In exitu à Congregatione Generalis Societatis, multis audientibus, dixit Valentiæ: *Destruxisti Societatem*, *Destruxisti Societatem concessione illius maioris*. In 5. Congregatione 23. Iulij disputatum de laude lib. arbitrij in receptione gratiæ, ante, & post. Ab ista Congregatione introducti sunt Cardinales Inquisitores Pinellus, Asculanus, S. Cæciliæ, Burghesius, Arigonius, de Auila.

Thesim hanc vndecimam num. 26. arguunt falsitatis, ex eo quod narratur in ea de Generali Societatis dicente Valentiæ in exitu à Congreg. 4. Destruxisti Societatem, Destruxisti Societatem concessione illius maioris, quia, inquiunt, quæ post exitum Congreg. dicebantur, non referebantur in acta.

Verùm inquirimus vnde norunt non fuisse etiam hæc relata, quæ quodammodo ad rem faciebant? Certum enim est quod quædam etiam quæ extra Congregationem gerebantur, vt infirmitas Consultorum, illorum mors, & alia actis inserebantur tanquàm appendices. Hinc illud quod PP. Societatis in acta sua referre non sunt obliti, quod in prima Congregatione, cùm vel specie tenùs Valentia Aluarem superasse visus esset, Generalis Valentiam in Collegium quasi ouantem deduxit, ac publicè laudauit, dicens inter alia. *Tu gloria Hierusalem, Tu lætitia Israël, Tu honorificentia populi nostri.* Et quamuis daremus ista non fuisse relata in acta, quæ asseruanda erant in Archiuio sacræ Romanæ generalis Inquisitionis, poterant tamen referri in acta, quæ à Secretarijs priuatim, vel ab alijs scribebantur. Profectò nouimus hæc reperiri in actis, quæ habemus.

XII. Thesis Qvæst.

IN 6. Congreg. *a* 6. Augusti actum, an possit homo lapsus elicere contritionem naturaliter, vt ait Molina. In 7. conclusum negatiuè. *a Acta Congregat.* In 8. 19. Aug. An homo lapsus naturaliter possit diligere Deum super omnia, vt vult Molina, conclusum negatiuè, in 9. 20. Aug. In Congreg. 10. 2. Septemb. actum, An homo possit naturaliter cuilibet tentationi resistere, vt asserit Molina. Irascitur Pontifex in Molinistas, quòd Scholasticis maximè suis, non scripturâ, Concilijs, Patribus vterentur. In 11. die 30. Sept. vtrum detur lex dandi infallibiliter gratiam facienti quod in se est. Falsificāt Viguerium, & (quod peius) Augustinum. Indignatur Pontifex. Valentiam (qui parùm fideliter legerat Augustinum) dicendo *Ho*! prosternit, qui sensu omni priuatus, inde sublatus, & mox Neapolim aduectus, moritur. In 12. conclusum negatiuè.

In thesi ista 12. reprehendunt narrationem de prostrato Valentia. 1. Quia maius id esset miraculum, quàm illud Christi prosternentis Iudæos, qui ad ipsum ligandum venerant. Christus enim tribus syllabis, *ego sum*, satellites illos prostrauit. Clemens VIII. vna vocali aspirata *Ho!* 2. Quia huius rei testem auctor citat neminem, & denique quia non potuit Valentia Augustinum 19. de Ciuit. cap. 13. & Viguerium lib. Instit. cap. 10. §. 4. falsificare, cùm potiùs falsificanda essent illa loca, vt non fauerent.

Hæc verò narrationis fidem non eleuant. Ad horum primum Respondetur siue fuerit maius miraculum siue non, nihil hoc argumēto confici, tùm quia ipse Christus Dominus omnibus Apostolis, & præsertim Petro dixit, Ioan. 14. *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse*

faciet, & maiora horum faciet : tùm etiam quia eodem argumento narratio facti D. Petri in Anania & Saphira actuum quinto infirmaretur : posset enim argui, non esse credibile D. Petrum maius miraculum patrasse prosternendo & morte puniendo Ananiam & Saphiram, quàm Christũ, qui proprios hostes prostrauit quidem, sed non morte puniuit. Neque verò quis dixerit multum intercedere discriminis inter factum Ananiæ & Saphiræ, & factum Valentiæ. Si enim diceremus hoc miraculum fuisse, quod sic prosterneretur Valentia, dici posset, quod sicut Ananiam & Saphiram prostrauit Petrus, quia (vt ipse ait) mentiti fuerant Spiritui sancto : ita veluti mendacium fuit, & peccatum contra spiritum sanctum, veritatem cognitam impugnare, illamque (vt loquitur Apostolus) in iniustitia retinere, præsertim in tanto consessu, vbi agebatur de quæstionis istius definitione ac determinatione, vt deinceps altera quidem pars de fide esset, altera verò proscriberetur. Quare velle mendacijs alteram Pontifici suadere, nihil aliud videbatur, quàm mentiri Spiritui sancto. Nec tamen hinc inferat aliquis miraculum intercessisse in casu Valentię: nos siquidem id non asserimus; nam P. Gregorius de Valentia initio Congregationis malè habebat.

Ad secundũ Resp. auctorem produxisse in huius rei testimonium Acta ipsa. Si quærant alios, legant Alexandrum Ziliolum in Commentarijs quæstionum memorabilium sui temporis. Consulant viros qui etiamnum superstites Romæ degunt, à quibus & nos rem totam accepimus. Denique huius rei coniecturam alijs adiunctis satis apertam sumimus ex eo, quod ipsi auctores Societatis de morte Valentiæ tam varij sint & diversi. Antonius Posseuinus 1. tomo apparatus sacri in additionibus lit. G. illum Romæ diem obijsse anno 1604. narrat. Ribadeneira Neapoli 1603. 15. Aprilis. Paulus verò Leonardus p. 1. num. 24. in medio dicit Valentiam mortuum paulò post finem Septembris anni 1602. Neapoli : & sine dubio hic vltimus rem propiùs attigit.

Ad tertium non est quod quæramus an Augustinus & Viguerius faueant, sed vtrùm eos falsò citarint, & ipsum Augustini locum corruptè legerit Valentia. Si enim fauit & nihilominùs legendo vitiauit, bis peccauit, videlicet, & quia corruptè legit, & quia causæ præuaricator extitit. Et verò non fauere locum Aug. probauit P. Lemos disp. 9. die S. Hieronymi 30. Septemb. quo hæc contigisse dicuntur. Agebatur de illa Molinæ propositione, facienti quod in se est ex viribus naturalibus, ex certa lege Deus dat gratiam.

Illam probabat Valentia ex Augustino loco cit. sic legendo. *Deus*

ergo naturarum omnium sapientißimus conditor & Iustißimus ordinator, qui terrenorum ornamentorum maximum instituit mortale genus humanum, dedit hominibus quædam bona huic vitæ congrua, &c. eo pacto æquißimo, vt quicunque mortalis talibus bonis paci mortalium accommodatis bene vsus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, & ipsam immortalitatis pacem, eique conuenientem gloriam, &c. Ex quo sic arguebat. Aug. dicit Deum ex pacto æquissimo benè vtenti bonis temporalibus daturum duo, nempè bona ampliora atque meliora, & præterea ipsam immortalitatis pacem siue gloriam: sed per ampliora bona non possunt intelligi nisi bona gratiæ, quæ sola sunt temporalibus ampliora & à bonis gloriæ distincta. Igitur Deus ex pacto dabit benè vtenti temporalibus bona gratiæ & gloriam. Et cùm præmium promissum bono operi non debeat à benè operante, dum benè operatur & meretur haberi (nam meritum spem inuoluit, quæ est de futuris) consequens est, vt Deus non habenti gratiam, & sic benè vtenti temporalibus sine gratiâ, atque adeò ex naturæ viribus, daturus sit & gratiam & gloriam.

Dum hæc proponeret Valentia, P. Lemos stabat attonitus intra se (vt ipse posteà narrauit) dicens, quî fieri posset, quod Augustinus hæc diceret. Non est, inquiebat, possibile quod ipse Sanctus Doctor factus sit hæreticus. An ego memoria omninò lapsus sum? An PP. Societatis ausi essent falsificare D. Augustini locum, in præsentia suæ sanctitatis, vt aliàs alibi pluries factitarunt? Atque vbi sic cogitabundus staret, finem dicendi fecit Valentia, & tùm P. Lemos ignarus quid consilij caperet, flexo poplite, ad sanctissimum ait: *Qua intentione P. Valentia falsificauerit B. Augustinum, non est meum, P. Beatißime, iudicare: Vestra Sanctitas iudicabit: meum est ostendere, quod falsificauerit. Ne autem dicant Patres id contigisse defectu codicis, & errore Typographi, præcipiat Vestra Sanctitas, vt detur mihi idem numero codex, & in eo ostendam ipsum falsificasse verba D. Augustini.* Et cùm iubente Pontifice datus fuisset codex, Pater Lemos ostendit non sic haberi in Augustino, sed longè aliter, videlicet, *Deus,* &c. *dedit hominibus quædã bona huic vitæ congrua,* &c. *eo pacto æquißimo, vt quicunque mortalis talibus* &c. *rectè vsus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipsam SCILICET immortalitatis pacem.* Ex qua lectione probauit Lemos D. Augustinũ ibi loqui de homine benè vtente bonis temporalibus, non ex viribus naturæ, sed ex diuina gratia: quia Deus, inquiebat, non est daturus gloriam homini benè vtenti temporalibus ex solis naturæ viribus (neque enim vel hoc Pelagius est ausus asserere) sed dumtaxat homini benè vtenti temporalibus ex diuina gratia: Atqui Augustinus dicit Deum illi homini benè vtenti temporalibus daturum gloriam: dicit enim Deum illi daturum me-

liora bona, & statim explicans, quæ sint illa meliora bona, subdit, *ipsam SCILICET immortalitatis pacem*, per quam intelligitur gloria, vt neque PP. Societatis diffitentur. Igitur loquitur de homine benè vtente temporalibus non ex viribus naturæ, sed ex diuina gratia. Non ergo potuit locus ille fauere Valentiæ ad probandum intētum, nisi falsificaret, vt fecit, apponendo particulam, ET, ac subtracta particula (SCILICET) Quod etiam vbi proprijs oculis probauit Pontifex facti indignitatem detestatus, Valentiā seuero vultu intuitus, illam particulam *Ho!* protulit, acciditquè narratum ab auctore.

Locus verò Viguerij multò minùs fauet, quia sic habet Viguerius eò loci: *Sic conanti Deus suā proclamatā misericordiā adest & conuertitur ad eum suo auxilio speciali.* Ipsi verò legebant, sine auxilio speciali, vt testatur D. le Bossu Doctor Sorbonicus 1. p. primi cap. ad notam 14. paulò ante finem.

De his quæ num. 25. dicunt aduersus theses 10. & sequentes vsque ad 22. malè videlicet citari Molinam, non esset curandum: sufficeret enim ad fidem auctoris probasse ita relatum & intellectū fuisse Molinam in Congr. Verùm ipsa loca ex quibus Sum. Pontifex, qui quæstiones proponebat, propositiones Molinæ desumeret, dabimus inferius.

XIII. Thesis Qvæst.

AB hac 13. Congregat. ad 33. disputat Arrubal loco Valentiæ de conuenientia Molinæ cum Cassiano in 14. propositionibus vsq; ad 19. Congregationem exclusiuè habitam 11. Iunij 1603. Celebris 21. fuit, in qua 27. Ianuarij actum de dono perseuerantiæ, & ostensum Molinam dicere, quòd concursus diuini auxilij naturâ posterior est concursū liberi arbitrij, cumque ad scientiam mediam recurreret Arrubal, interrogauit Pontifex. *Quid per illam scientiam Deus præuidet?* Respondit Arrubal: *Influxum liberi arbitrij*. Replicauit Pontifex: *Aut quem gratia facit, aut quem natura? Si primum, scientia illa non est ante decretum: si secundum, idem dicit Cassianus.* Conclusum contra Molinam in 22. habita 28. Ianuarij. In 27. & 28. actum de prædestinatione: conclusum fieri ante præuisa merita Molinam dixit Pontifex impudentissimè locutum contra Augustinum.

XIV. Thesis Qvæst.

PRopositiones in quibus Molinam cum Cassiano conuenire censuerunt Consultores sunt. 1. Homo lapsus potest habere iudicium naturale cuiuslibet boni moralis. 2. Gratia illuminans & vocans suf-

ficit ad salutem. 3. Potest homo lapsus naturaliter diligere Deum super omnia. 4. Deus expectat nostros conatus. 5. Deus expectat occasiones, vt largitio gratiæ sit rationabilis. 6. Lapsus potest naturaliter cuilibet tentationi resistere. 7. Explicatio illius 1. Cor. 10. Fidelis Deus &c. 8. Seruanda est laus libero arbitrio ante receptionem gratiæ. 9. Ad perseuerantiam solùm requiritur gratia habitualis, & auxilium sufficiens. 10. Actus naturæ ordinantur ad iustificationem. 11. Conanti ex natura datur gratia. 12. Propter bona naturæ vt occasiones, datur gratia &c. 13. Lapsus potest medicum quærere. 14. Prædestinatio omnium non est gratuita.

XV. Thesis Quæst.

IN Congreg. 29. habita 11. Iunij 1603. disputatum an Concilium Tridentinum sess. 14. c. 4. & can. 5. obstet ijs quæ de contritione & attritione docet Molina. Conclusum est affirmatiuè in Congr. 30. In Congreg. 31. 23. Iun. actum de motiuo necessario, vt actus sit simpliciter bonus, & conclusum in 32. aduersus Molinam. Post hanc Arrubal infirmatus perrexit in Hispaniam: loco illius disputauit Vastida, & in Congreg. 33. die 10. Nouemb. actum, an ea quæ Molina docet de actibus, quos liberum arbitrium potest elicere, & de lege facientis quod in se est ex naturalibus, dicant ordinem ad iustificationem, vt veræ dispositiones. In 34. Congreg. conclusum affirmatiuè iuxta Molinam, quamuis iuxta rei veritatem contrarium sit tenendum. In Congr. 35. 18. Nouemb. actum vtrum liberum arbitrium & gratia sint duæ causæ partiales boni operis. In 36. 19. Nou. conclusum negatiuè.

XVI. Thesis Quæst.

IN Congreg. 37. 25. Nouemb. actum, vtrum Molina in positione de causis partialibus conueniat cum Pelagio. In Congr. 38. die 25. Nouembris Consultores determinarunt affirmatiuè, addentes statum causæ illius sæculi esse eundem cum præsenti. In Congreg. 39. 8. Decemb. actum, vtrum Deus se inserat nostris conatibus naturalibus, vt vult Molina. In 40. die sequenti, conclusum negatiuè. 20. Ianuarij 1604. in Congreg. 44. disputatum vtrum iuxta Augustinum interna vocatio pendeat à libero arbitrio, vt ait Molina. In 42. conclusum negatiuè. In 43. habita mẽse Feb. actum, an quamdiù sumus in via salus sit posita in manu arbitrij nostri. In 44. conclusum, quod non, iuxta sensum intentum à Molina. In 45. 22. Mar-

tij, an Deus de lege ordinaria magna ex parte dona sua vsui liberi arbitrij accommodet. In 46. conclusum negatiuè.

XVII. Thesis Quæst.

IN Congreg. 47. 21. Aprilis actum, an Deus exigat, vt homo faciat quod in se est, prius quàm donet fidem. In 48. negatiua pars præualuit. In 49. 30. Aprilis actum, an actus admissi à Molina ex naturalibus sint vt ad salutem oportet. In 50. affirmatiuè determinatum. In 51. 6. Maij actum, in quo differant motiuum pietatis Christianæ, & bonitatis Dei super omnia dilecti &c. In 52 dictum non differre. In 53. Maij 28. actum, vtrum intellectus proponens voluntati Deum amandum, vt qui pro nobis fudit sanguinem, vt præmiantem vita æterna, &c. proponat obiectum naturale vel indifferens. In 54. conclusum, quod proponit vt supernaturale. In 55. Iunij 30. actum de eodem. In 56. idem conclusum.

XVIII. Thesis Quæst.

IN Congreg. 57. Iunij 21. quæsitum supposita doctrina Molinæ de actibus bonis naturaliter possibilibus & de partiali causalitate gratiæ & lib. arb. quænam ex illis causis præponderet in iustificatione hominis. In 58. conclusum iuxta Molinam liberum arbitrium præponderare, gratiam verò in rei veritate. In 59 cœptum est agi de scientia media die 27. Octobris. Vastida differt per duas Congregationes ad punctum difficultatis venire probans in 59 Deum cognoscere conditionatè futura, & in 61. illa cognoscere certò, quamuis Consultores iuberent, vt accederet ad quæstionem, vtrum illa cognitio antecederet Decretum. Die 28. Octob. In 60. Consultores per 4. horas examen protrahentes concluserunt scientiam mediam esse ipsissimum Pelagianorum & Semipelagianorum fundamentum.

XIX. Thesis Quæst.

IN 61. die 20. Nouemb de scientia media iterum. In 62. 30. Nouemb. iterùm contra illam conclusum. In 63. 6. Decemb. Vastida venit ad punctum difficultatis; sed eo audito, etiam tertio exploditur scientia media in 64. Congr. In 65. 4. Ianuarij 1605. quæsitum an detur decretum in Deo de actibus liberis antecedẽs omnem consensus liberi præuisionem. In 66. conclusum affirmatiuè ex Augustino. In 67. Ianuarij 22. introductus est illustriss. Cardinalis du Perron: disputatum, Vtrum bonus vsus auxiliorum Diuinæ gratiæ sit ab ipsa gratia: aientem partem vt veram ex D. Augustino in 68.

Consultores determinarunt. Post hanc mortuus est Clemens 8. In conclaui iuratum, quod futurus Pontifex finem his quæst. intra annum imponeret: electus est Leo XI. quo paulò post sublato, constitutus est S. D. N. Paulus V. qui non obstantibus varijs instantijs negotium prosecutus est.

XX. Thesis Qvæst.

SVb sanctissimo D. N. Congregatio 1. habita est die Exaltationis S. Crucis inter Consultores, vbi conclusum est, quod præter toties disputata de duobus punctis fierent præcisè duæ disputationes, post quas S. D. N. Apostolicâ auctoritate definiret. Itaque 1. habetur 20. Sept. De mente D. Augustini actum, vtrum gratia efficaciam haberet ex omnipotentia Dei & supremo dominio, quod sua Diuina Majestas habet etiam in voluntates hominum, vt fœl. record. Clemens 8. in suo scripto exhibito 9. Iulij 1603. cap 5. proposuerat. Negarunt Molinistæ, quia (inquiebant) in hoc importatur prædeterminatio physica. Sed ostensum à P. Lemos & in Congreg. sequenti conclusum à Consultoribus, eam esse D. Augustini mentem, quam Clemens 8. ex multis eiusdem S. Doctoris locis proposuerat.

XXI. Thesis Qvæst.

IN 4. Congreg. 10. Octob. actum, vtrum Deus actiuè, propriè, nedùm moraliter moueat suâ gratiâ liberum arbitrium ad bonum, & an hoc dato, illa gratia dici debeat prædeterminatio physica. Hoc 2. admisere Molinistæ, primum negarunt. Vastida initio inuectus in Consultores, increpatur à S. D. N. dicente; *Respondette al dubio, e lasſiate queste cose, laſsiate queste inuettiue, a che propositio se fanno queste inuettiue?* Instat Vastida contra consilium Consultorum, ne vnâ Congregatione terminetur negotium, & obtinet: actum igitur 1. ex script. 2. ex Tridentino & Senon. Concil. 3. ex PP. maximè Augustino 4. ex D. Thoma. 5. ex Scholasticis. 6. rationibus. Consultores in 14 Congreg. concluserunt Deum actiuè propriè mouere, Rationes verò Molinistarum captiosas, periculosas, humanis auribus prurientes Pelagiana fouere dogmata. Iam expectatur definitio S. D. N.

Theses 18. 19. 20. 21. sine teste esse conqueruntur.

Resp. Non fuisse opus; omnes enim satis intelligebant illas haberi ex actis toties citatis. Vnum restat dissoluendum quod aduersus Thesim 18. & 19. objiciunt num. 29. nimirum quod narretur bis damnata scientia media, antequàm veniretur ad punctũ difficultatis: quare nutabit illorum iudiciũ vel iustitia, qui causam inauditam damnauêre;

vel prudentia, quia post latam sententiam audire voluerunt litigantes.

Respondemus Iudices illos viros æquissimos ac doctissimos non damnasse inauditam causam, cùm iam toties & toties vsque ad nauseam, eadem repetentes audijssent, & scripta legissent: & licet inauditos damnassent, iuste id fecissent, quia P. Vastida noluit obedire ipsis iubentibus, vt ad punctum difficultatis accederet: quando autem altera pars tergiuersatur, & malorum litigatorum instar fugit, causæ suæ ipsa diffidere iudicatur, vndè in alterius fauorem profertur sententia: potest tamen damnata pars iterum aliquando audiri, idque quotidiè præstant Senatores integerrimi absque vllo vel iustitiæ vel prudentiæ præiudicio.

XXII. Thesis Quæst.

Ses. 6. can. 4. QVando Tridentinum *a* damnat hanc propositionem Caluini: lib. arbitrium motum à Deo non potest dissentire, damnat illam in sensu, quo à Caluino asserebatur (aliàs nihil quoad hoc egisset contra ipsum: cum tamen conuenisset ad illius errores proscribendos, inter quos ille capitalis erat) atqui propositio illa asserebatur à Caluino intellecta de præmotione physica, vt sensus illius esset liberum arbitrium motum à Deo per præmotionem physicam non potest dissentire: illam enim præmotionem dicebat tollere libertatem, non autem motionem simultaneam, vel gratiam præuenientem moraliter, vt etiam fatetur Suarez *b*, & alij. Igitur anathema dictum est asserenti hanc propositionem, liberum arbitrium præmotum à Deo physicè non potest dissentire, siue non manet liberum: sed illam propositionem veram esse contendunt assertores scientiæ mediæ, negant verò alij, ergo, &c.

Primo de concursu Dei, cap. 11.

Aduersus thesim hanc 22. & sequentes objciunt, quod auctor inciderit in censuras latas contra illos, qui edunt quicquam in publicum, quo attingatur ipsa quæstio de auxilijs diuinæ gratiæ, hoc est de illorum efficacia.

Nos etiam hîc manum abstinemus, si tamen liceret auctoris causam agere, non alijs vteremur excusationibus quàm reprehensorum. P. Viuerus in libello cui titulum fecit, *Tela ingesta regesta*, excusat P. Tannerum & P. Mæratium, *quia*, inquit, *moniti, parati fuissent desistere.* P. Paulus Leonardus hoc anno 1644. scripsit suas excusationes p. 3. n. 57. Illum autem esse Iesuitam, (quamuis id dissimulauerit in titulo libri) colligitur ex p. 1. num. 53. p. 2. n. 3. & 30. ac denique ex p. 3. n. 62. Scripserunt præterea de hac ipsa materia Theophilus

Rainaudus, Eugenius Philadelphus, hoc est teste Petro Aurelio P. Hennatus siue Annatus Caturcensis, P. Petauius hoc ipso anno aduersus Iansenium, tot alij. Sed quid quod cum vltima Bulla, quæ omnes de his rebus libros edere in lucem, (vt dicitur) prohibet, ipsi suas Theses Louanienses Parisijs typis mandari curarunt? quis manifestior esse potuit mandati contemptus, quàm ipsum promulgando violare? Nec verò est quod auctor ad has omnes excusationes recurrat. Theses composuit de his rebus quas ipsi quotannis in publicis positionibus disputandas proponunt: non dubitamus credidisse auctorem post tot virorum Religiosorum & doctissimorum Casuistarum exempla, idem sibi licuisse, præsertim cum modestia à scommatis, dicterijs, facetijs, etiam rebus sacris intermixtis abstinendo, quod & nos præstitimus, & doluimus ex animo reprehensores hunc morem non esse secutos, quicunque illi fuerint, ignoscat illis Deus. Nos ad similia quamuis regerere in promptu esset, si liceret, si deceret nunquam respondebimus nisi silentio.

XXIII. Thesis Quæst.

QVando Tridentinum definit liberum arbitrium motum à Deo posse dissentire, per particulam, motum, intelligit vel motionem moralem, vel physicam simultaneam, vel physicam præuiam, vel omnem omninò, qua homo indiget, vt agat, quæcunque tandem illa sit: duo priora dici nequeunt, aliàs nihil actum foret quoad hoc contra Caluinum, qui nunquàm asseruit motionem moralem, vel physicam simultaneam impedire vsum libertatis: ineptè etiam vterentur illo canone Molinistæ aduersus præmotionem physicam, cùm de illâ non intelligatur: restat ergo quòd intelligatur de physica, vel de illa quæ est necessaria, quæcunque sit: si primum eligant, igitur hæc est propositio definita à Concilio, liberum arbitrium motum à Deo præmotione physica potest dissentire, & remanet liberum, quam tamen illi negant.

Thesim 23. ex Dialectica arguunt n. 12. quòd disiunctiuum syllogismum vnimembrem auctor in ea protulerit.

At profectò incidére illi in thesim non correctam: nobis correctior contigit, quæ duo membra apponit, neque difficile erat id ex sequentibus colligere: nam auctor duo membra prosequitur; primum, omissum errore Typographi & incuriâ correctorum, in eadem thesi vigesima tertia; secundum in Thesi sequenti vigesima quarta. Quare de facili non tam mali Dialectici hoc fuisse erratum Typographi colligere potuissent.

XXIV. Thesis Qvæst.

SI autem velint Canonem illum intelligi de motione quacunque necessaria, idem sequitur: nam vel PP. Tridentini nouerant Caluinum ex præmotione Physica inferre, quod vsus libertatis tollitur, vel non nouerant: hoc secundum dici nequit sine graui iniuria PP. Tridentinorum, qui damnauerint incognita, & patet esse falsum ex diligenti illorum studio. Igitur nouerant: vel ergo iudicauerunt antecedens illud esse falsum & hereticũ, vel illationem esse erroneam & illegitimam; non primum, aliàs obligati fuissent ad illud proscribendum formaliter & conceptis terminis: cum antecedens, ex quo per legitimã consequentiam infertur cõsequens hæreticum, sit etiam hæreticum: ergo iudicarunt consequentiam esse spuriam & erroneam: quod etiam modus quo loquuntur in illo canone 4. satis ostẽdit: Atqui hanc consequentiam legitimã esse affirmant Molinistæ, ergo, &c.

XXV. Thesis Qvæst.

a *Lib. 2. de scient. condit. cap. 4. nu. 5.*

VEl Tridentinum admisit præmotionem physicam non tollere libertatem, vel admisit scientiam mediam: cùm Suarez *a* & alij fateantur alterum è duobus admittendum esse, vt nos expediamus ab argumentis hæreticorum: atqui Tridentinum non potuit admittere scientiam mediam: quia anno 1547. quo hac de re actum est nondum fuerat è tenebris eruta: hoc enim non contigit ante annum 1559. ex Molina & Fonseca *b*. Igitur Tridentinum admisit prædeterminationem physicam non tollere libertatem: hoc autem negant Molinistæ ergo, &c. Adde quod si Molinam audiamus dicentem *c* admittendam esse scientiam mediam, nisi (inquit) turpiter hallucinari velimus, necesse fuerit dicere BB. Ignatium, Xauerium &c. imò quotquot ante scientiæ mediæ inuentionem hæreticos impugnarunt, ipsos etiam PP. Tridentinos turpiter fuisse hallucinatos.

b *Sup. cit.*

c 1. *p. q.* 14. *a.* 13. *disp.* 17. §. *his ita.*

In 25. thesim insiliunt ex eo quod auctor ex dicto Molinæ, quo ait debere nos scientiam mediam admittere nisi turpiter hallucinari velimus (quam tamen scientiam à se inuentam profitetur) sequi asseruerat BB. Ignatium Xauerium, &c. fuisse hallucinatos scilicet (inquiunt reprehensores) in suis ad Magistrum commentarijs.

Non sanè: neque arbitramur eruditum auctorem latuisse Beatissimos illos viros alijs operibus deditos cõmẽtaria in Magistrum non edidisse: sed solùm voluit sequi illos fuisse hallucinatos in suis aduersus hæreticos & infideles concertationibus: non enim minus verbo quam scripto potest quis hallucinari. Et profectò non vsos fuisse

Sanctissimos illos Patres scientia media ad propugnandam arbitrij nostri libertatem aduersus nouas hæreses, satis videtur constare ex eo quòd P. Leonardus Iesuita refert primos Societatis discentes cum Dominicanorum Scholas peterent, vt P. Herice insinuat tract. 3. disp. 25. cap. 2. in fine, ex eorum fontibus potasse physicam præmotionem, & modum futura contingentia cognoscendi quæ ab hypothesi dependent ex decretis prædeterminantibus. Atque adeò constat omnes illos primos Patres fuisse hallucinatos.

XXVI. THESIS QVÆST.

HAnc Concilij mentem colligimus etiam ex Cornelio Musso, *a* qui 6. Trid. sess. ordinauit cum auditorum admiratione tanta (inquit Posseuinus Societatis *b*) vt PP. omnes vno ore clamarent S. Spiritum mirabili modo in eo fuisse operatum. Idem constat ex Lipomano *c*, Catharino *d*, Romæo, *e* Seripando *f*, Soto *g*, Vega *h*, Salmeronè *i*, alijsque PP. Conc. quorum nullus meminit scientiæ mediæ: Imò omnes illius fundamenta euertunt, præmotionem verò physicam docent, sicut & plures ex Societate, qui memores moniti B. Ignatij ad tres PP. Societatis in Concilio existentes, noluerunt sententiam Molinæ amplecti, vt potè nouam. Sic Patres Societatis Colonienses *k*, Pererius *l*, Toletus *m*, Henricus Henriq. *n*, Mich. Marcus *o*, Azorius *p*, imò & Bellarminus *q*, syncerus & non adulteratus, & alij.

a 1. *de Diu. hist. c.* 15. *&* 17.
b *Apparat verb. Corn.*
c *In Exod.* 3. *in Gen. c.* 50.
d *Li. de præd. & prouid.*
e *De lib. operum verit.* 7.
f *In c.* 9. *ad Rom.*
g *De nat. & grat. cap.* 16. h *De iustific. q.* 11. i *Disp.* 19. *in epist. ad Rom.* k *Dial.* 2. *de Hom. pag.* 36. l *Lib.* 8. *de princ. nat. c.* 8. m 2. *Phys. c.* 3. *tex.* 38. *q.* 8. *ann.* 54. *in Luc.* n *Lib. vlt. de fin. hominis a. c.* 3. *ad* 11. o 1. *p. q.* 23. *a.* 7. *&* 3. *p. q.* 86 *art.* 1. *dub.* 1. p *Lib.* 1. *Instit. Mor. cap.* 17. *q.* 7. *&* 8. q *Lib.* 4. *de grat. & l. b. arb. cap.* 14. *&* 16.

Tria in hac thesi 26. reprehendunt 1. quod citauerit auctor Lipomanum pro mente Concilij, qui tamen ante Concilium scripserat.

Verùm attendenda fuerat auctoris intentio qui Tridentini mentem ac sensa indagaturus auctores qui 6. Sessioni illius synodi interfuere velut in testes citauit, quorum alij mentem suam prius quidem scriptis traditam in Concilio haud dubium proposuerunt & explicarunt, dum hæc quæstio ventilaretur per quatuor ferè integros menses, neque posteà retractarunt. Alij verò in ipso amplissimo PP. consessu didicerunt, eamque posteà docuerunt. Inter primos fuit Lipomanus, quem non dixit auctor ea in Concilio audiuisse: cùm anno 1546. opus eius fuerit editum. Sed profectò, multò iustior fuerit auctoris querela in reprehensores, qui vbi num. 33. laudarunt Romæum (ea fide quam posteà ostendemus) subdidere. Hæc Romæus in Tri-

dentino audierat. Cum tamen Romæus opus illud de libertate operum iam edidiſſet anno 1538. vt patet ex Antonio Poſſeuino Societ. in apparatu ſacro litt. F. Quare ſi hallucinatus ſit auctor, nimis ſanè errauit quàm reprehenſores : ille non vno anno integro, hi verò ad minùs annis octo ; ille non dixit Lipomanum hæc in Concilio didiciſſe: ſed potius intellexit hanc doctrinam in Synodo tradidiſſe, hi verò aiunt Romæum hæc in Tridentino audiuiſſe: qui lapſus duplò craſſiores ſunt, Deo ſic parum benignam reprehenſorum in arguendo licentiam tanta cæcitate vlciſcente , vt ipſi grauiora peccarint, quàm quæ reprehendere conabantur.

At videamus iam de ſecundo quod arguunt. De ſyncera aliorum auctorum citatione volunt ferri iudicium ex duobus, Romæo nimirum & Soto. Acceptamus conditionem , & ne parum grati videamur. His volumus adiungere Salmeronem , addituri etiam ex eadem Societate alium, vt eſſet perfecta retaliatio, ſi in illa 6. ſeſſ. fuiſſet cuius opera ad nos perueniſſent. Eius loco Henricum Henriquez proferemus. Itaque vt probent auctorem non bona fide citaſſe Romæum & Sotum minimè proferunt loca ab auctore citata, ſed alia. Romæi locus ab auctore laudatus eſt veritate ſeptima : is quem ipſi citant habetur veritate octaua. Soti locus quem citat auctor extat c. 16. lib. 1. de nat. & grat. Ipſi afferunt locum ex c. 15. & ex fine lib. 4. Sententiarum. Optimus ſanè & laudatiſſimus modus arguendæ malæ fidei alicuius, ſed adeò mala fide quam fuerit auctoris optima. Eſt & aliud vitium in citatione Romæi, nam ſequendo Paulum Leonardum Ieſuitam decepti ſunt, ſumẽtes pro Romæi ſententiâ quod ipſe ſibi obijcit, ac ſtatim ſoluit: quæ hallucinatio tam grauis eſt, vt ſi talem in auctore reperiſſent, planè illum dicterijs obruiſſent. Vt autem bona fides auctoris & mala reprehenſorum appareat, vtrumque locum Romæi ſubijcimus. Primus quem citauit auctor eſt, vt diximus, veritate 7. vbi cùm dixiſſet Deum omnium actionum etiam liberarum cauſam eſſe non partialem, ſicut ſunt duo trahentes nauim, ſed perfectam, ſtatim explicat modos quibus Deus dicitur & eſt cauſa cuiuſlibet actionis. Primò, quia dedit virtutem agendi. 2. Quia illam conſeruat. 3. In quantum, inquit, applicat collatas conſeruatáſque virtutes. 4. Et ob id potiſſimum dicitur Deus omnium opera operari, quia in virtute operantis Dei vnumquodque operans operatur. Vndè Proculus illuſtris Philoſophus : *Virtus* (inquit) *primæ cauſæ plus influit ſuper effectum cauſæ ſecundæ, quàm virtus ipſius cauſæ ſecundæ* ; plus, inquit, ac ſi dixiſſet immediatiùs, priùs, intimiùs, efficaciùs, vt ſolemnes exponunt Philoſophi. Hæc Romæus.

Præterea consulant ipsum reprehensores veritate 16. videbunt quantum ipsis faueat. Secundus locus, quem citarunt reprehensores habetur sub finem veritatis 8. Dixerat anteà & probauerat Romæus ex efficacia diuinæ cognitionis & voluntatis res eo modo euenire, quo Deus scit & vult eas euenire: soluerat argumenta in contrarium per distinctionem sensus compositi & diuisi : docuerat realem omnium rerum præsentiam in æternitate : conciliauerat libertatem arbitrij nostri cum efficacia diuinæ cognitionis & voluntatis per hoc, quod causæ vniuersali, qualis est diuina voluntas, debet correspondere effectus vniuersalis non particularis, qualis est necessitas euẽtus aut contingentia; vndè intulerat ex eo quod Deus velit, vel sciat aliquid futurum, non sequi determinatè illud fore necessariò, sed solùm futurum eo modo, quo Deus vult illud esse futurum: vel necessariò, vt in causis naturalibus; vel contingenter aut liberè, vt in alijs. Quo etiam modo vtitur Caiet. 1. p. q. 22. a. 4. citatus & reprehensus n. 18. ab aduersarijs, & Corn. Mussus in c. 9. epist. ad Rom. Hæc verò omnia tam apertè placitis reprehensorum aduersantia vbi præstitit Romæus, quia manifestè docuerat diuinam cognitionem esse causam rerum, in fine ait: *Illud demùm non prætereundum, quod si ad antiquos Doctores te conuertas, reperies ferè omnes in hanc vnam conuenisse sententiam; videlicet non ex hoc, quod Deus scit aliquid futurum, idcirco futurũ est, sed quia futurum est, Deus nouit, qui præscius est futurorum: sic enim loquitur Hieron, &c.* Et vt constet illa per modum obiectionis afferri, statim sanctos illos Patres explicat, dicens: *Iuxta hanc igitur loquendi formam, non ea mens fuit Patribus nostris, quod res futuræ sint causæ quoquo modo Diuinæ erga se præscientiæ (cum eminentißimus Deus à rebus ipsis nihil accipiat) sed ea dumtaxat intentione atque consilio hunc aptauerunt loquendi modum, ne scilicet putaret quis ex diuinâ præscientia rebus præuisis vel neceßitatem induci, vel libertatem auferri.* Circa quę aduertendum est optimè dixisse Romæum res futuras non esse quoquo modo, id est vllo modo causas scientiæ diuinæ, vt indicaret nulla prorsus ratione scientiam diuinam ab his creatis obiectis pendere etiam tanquam à conditionibus, sed potius illa esse eius effectus. Quare dixit mentem Patrum solum esse, quod scientia Dei nullam rebus præscitis necessitatem infert. D. Th. 1. p. q. 14. art. 8. in primo argum. cum sibi eadem loca Patrum obiecisset, soluit dicens, illos locutos esse de scientia Dei secundum communem rationem scientiæ, cui ratio causalitatis non competit, & quãdo aiunt, ideò Deum scire, quia futurum est, verum esse vi consequentiæ, non vi causalitatis, hoc est, illam consequentiam, Deus scit futurum,

ergo illud erit, eſſe optimam; cauſalem verò non eſſe veram, quia futurum non eſt cauſa ſcientiæ Dei, ſed potiùs è contra. Mirum ergo eſt, quod cum hoc legant, & profiteantur reprehenſores ſe diſcipulos D. Thomæ, hæc auſint Thomiſtis opponere, quæ ipſe ſibi D. Thomas oppoſuit & ſoluit.

Iam veniamus ad Sotum, in cuius citatione non minores lapſus reprehenſorum videbimus.

In primis dicunt illum aſſerere cap. illo 15. damnatam eſſe doctrinam nedum Caluiniſtarum, ſed etiam quorundam Catholicorum de gratia efficaci: qui verò illi fuerint (inquiunt) conijciat qui volet ex eo, quod ſignificat ſe contra illos diſputare ſolitum, ac reclamare.

Intelligimus ſatis, quid ſibi velint: volunt Sotum denotare fratres ſuos Thomiſtas: ſed profectò malè, nam ibidem duo ait, quæ ipſis nequeunt competere: primò ſignificat illos non ſcriptis ſed viua voce ſuam ſententiam docuiſſe, quod de Thomiſtis intelligi non poſſe, vel ex ipſo Soto ſtatim probabimus: ſecundò non loquitur Soto de aſſerentibus vtcumque gratiam efficacem, ſed de aſſerentibus illam cum tali vi ac neceſſitate, vt in noſtra nos conuerſione merè habeamus paſſiuè ac receptiuè, quod nemo Thomiſtarum vnquam aſſeruit. Qua in re profectò bilem penè mouit reprehenſorum licentia, qui vt Sotum inducerent damnantem Thomiſtas, auſi ſunt Soti locum & detruncare & corrumpere. Ecce integrum Soti locum. Vbi locutus eſt de Lutheranorum hæreſi negantium libertatem in operibus ſupernaturalibus, ſubdit. *Quin etiam ſunt inter Catholicos, quos viua voce dogma hoc aſſerentes nobiſque reclamantibus defenſantes audiuimus, putà quod Deus nos vi & neceſſitate ad ſe pertrahat, ita vt in noſtra nos conuerſione merè habeamus paſſiuè ac receptiuè.* Quo in loco (vt conſtat) non loquitur de aſſerentibus vtcumque gratiam efficacem, ſed de ijs qui illam volebant vi & neceſſitate tanta trahere voluntatem, vt ipſa merè paſſiuè ſe haberet: cuius vltimæ clauſulæ ſubtractione lectoribus illudere voluerunt reprehenſores. Prætereà neque dicit neque ſignificat ſe contra illos ſic aſſerentes diſputare ſolitum, ſed ſolùm ſe audiuiſſe illos ſuum illud dogma defenſantes, & reclamaſſe. Et ſi daremus aduerſus illos Sotum ſolitum diſputare, Catharinum intelligeremus contra quem ſæpius diſputauit: cuius tamen opinionibus frequenter adhærentem Laynium iam ſupra vidimus. Idemque de Iayo, Salmerone, & Caniſio quis ſuſpicari poſſet; vtpotè cum Iayus, Salmeron, & Caniſius quodammodo eius diſcipuli fuerint, quos nimirum teſte Orlandino lib. 9. Hiſtoriæ ſuæ Societatis num. 52. ipſe Catharinus doctoralibus pileis Bononiæ anno 1549. donauit. Denique ſi Sotus dice-

diceret damnatos in Tridentino illos qui præmotionem physicam admittunt, seipsum proscriberet, cùm ipsam admittat cap. sequenti, vt videbimus, si prius locum alium ex eod. cap. 15. ab Aduersarijs citatum discusserimus. Habetur ille paulò ante finem capitis in 4. argumento quo probat suam conclusionem, dari scilicet libertatem in homine ad opera supernaturalia, neque voluntatem merè passiuè se habere. Illud desumit ex eo quod nihil videretur causæ restare, cur Deus non omnes conuerteret. *Quod si*, inquit, *rem fortè in æternas causas prædestinationis retuleris, quia cui vult miseretur & quem vult indurat, non satis quæstioni feceris: Illa enim est causa suprema & remota, videlicet quare hunc ad gloriam destinauerit, illum verò minimè; sed tamen prætereà causa desideratur proxima, per quam destinauerit vnumquemlibet in regnum recipere: vt enim in infantibus* &c. *Ita in adultis reddenda est proxima causa cur cum duos æquè sit Deus paratissimus conuertere, præsentissimâque vtrumque misericordiâ aspiret, hunc trahat, illum non trahat. Quæ reuera reddi non potest, nisi quod alter præbet assensum & cooperatur alter verò minimè.* Viden quomodo Sotus non dicit nullam absolutè reddi posse rationem, cur ex adultis alter conuertatur, altero non conuerso, vt non bona fide aduersarij repræsentant, sed dixit nullam posse aliam reddi *proximam* causam, de illa enim formaliter loquitur. Certissimum siquidem est Deum sua gratia efficaci non esse causam operis supernaturalis omninò proximam: cum enim opus illud vitale sit, causam proximam vitalem requirit. Quare optimè Soto ostendit voluntatem nostram in conuersione sua ad Deum non merè passiuè se habere, quia illius operis, quo ipsa conuertitur, Deus quidem est causa aliquo modo remota & vniuersalis in ordine supernaturali per gratiam efficacem, voluntas verò est causa proxima, atque adeo aliquid agere & ipsa debet: non ergo merè passiuè se habet. At mirari hic subit, cur reprehensores in eas partes Sotũ voluerint trahere, quasi diceret gratiam fieri efficacem ex consensu, quod Molina asseruit in concordia disp. 38. & alibi, cùm nouerint Bellarm. lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 12. asserere illam opinionem esse alienam omnino à sententia D. August. imò & à sententia diuinarum scripturarum: & quod caput est, ignorare non debeant Generalem Societ. prohibuisse ne illam Molinæ opinionem inposterum sequerentur. Decretum afferunt Tannerus 1. 2. d. 6. q. 1. d. 5. de grat. & Paulus Leonardus p. 2. n. 55.

Demùm vt fidem auctoris in citando Soto præbemus, sufficiet locum integrum ex cap. 16. transcribere. Sic ergo ibi habet. *Aut sumus liberi in huiusmodi actionibus ante momentum temporis, quo nos Deus mouet, aut præsente motione Dei; non ante, quia absque eo mouente, moueri nequimus;*

neque cum nos ipse actu mouet, quia non stat ipsum nos mouere, quin vnà moueamur. Sunt enim mouere & moueri ceu actio & paßio correlatiua. Ad dissoluendum argumentum hoc supponenda est definitio libertatis. Illa enim causa libera est quæ positis omnibus requisitis ad agendum potest & agere, & non agere, cui contraria ratio est causæ naturalis. Sunt ergo inter Catholicos qui doceant posito concursu Dei non esse vtrumque in potestate voluntatis scilicet agere, & non agere. Ob idquè secundò aiunt eiusmodi concursum non connumerari inter requisita ad agendum Imò dicunt, vt suâ vtamur voce, concomitari actionem ipsam Horum autem duorum vel vtrumque numquam intellexi, vel neutrum vnquam credam. Etenim non est dubium, quin concursus Dei licet concomitetur, vt aiunt, actionem, sit nihilominùs cuicunque secundæ causæ requisitus ad agendum imò verò, ET NATVRA PRAEREQVISITVS, *quoniam non solum Deus est causa effectus secundæ causæ, verum ipse etiam mouet eam ad agendum. At quamuis ille concursus sit prærequisitus, nihilo secius illo posito, tunc etiam est in facultate voluntatis agere & cessare. Aliàs nullus dabitur requisitorum numerus quibus positis voluntas poßit agere & nō agere, atque adeò neque erit libera: Nam ante diuinum concursum non potest agere, & quando ille adest, vt isti aiunt, non potest non agere. Solutio ergo dubitationis est, quod illo tunc temporis momento, quo Deus mecum concurrit, sum liber, vt tunc agere renuam. Etenim dum liberè moueor possum in sensu diuiso non agere & tunc cessabit concursus Dei. Tametsi in sensu composito contra se inuicem pugnent: Deum agere erga me actione illa, & me non agere.*

Iam verò Salmeronis sententiam vno aut altero loco, quem indicauit auctor, breuiter ostendamus: disput. 19. in epistolam ad Rom. explicans illa verba Apostoli: *Quos præsciuit, hos & prædestinauit*, dicit illum terminum, *præsciuit* significare idem quod PRAEDILEXIT. *Quos igitur prædilexit, eos* (inquit Salmeron) *& prædestinauit, id est, antequàm videret opera eorum, amauit illos non ad aliquod bonum temporale, sed ad supremum cœlestis gloriæ, nec ad tempus, sed vsque in finem dilexit eos, id est,* FIRMA SVA ET IMMOBILI PRAEDETERMINATIONE *per certa media quasi serie quadam instituit, vt possent ad gloriam peruenire.* Hæc Salmeron ibi. Et disp. 21 postquàm dixit Deum videre omnia in seipso tanquam in causa, & ipsam æternitatem esse nunc vnum sistens ambiens omne tempus, & cuiuis differentiæ temporis & momentis siue instantibus coexistens, subdit: *Illud quod nondum est in se vel in suis causis determinatis non potest vel Dei oculo determinatè videri.* Et paulò post asserit Deum non posse determinatè videre effectus contingentes, nisi vel quando iam sunt in esse, aut quando iam causis ad vnam contradictionis partem inclinatis, illa pars determinatè necessitatem acquirit existendi. Et tandem docet, quod prædestinationem subsequitur

præſcientia certa bonorum operum & certæ adeptionis finis, & hoc eſt, quia in prædeſtinatione eſt certa Dei voluntas, vt hæc eueniant: quia certa ſunt in ſe(ratione præſentiæ in æternitate) & in ſuis cauſis, id eſt in Dei voluntate. Quare & in tota illa diſputatione 21. propugnat prædeſtinationem ante præuiſa merita,& contrarium vocat dogma Pelagianorum, & Caluiniſtarum.

Henricus Henriquez cap.4. de vlt.fine hominis §.1.lit.A.loquens de ſententia aſſerentium propoſitiones de futuro in ſigno rationis antequam concipiatur vlla diuinæ voluntatis prædeterminatio veras eſſe,& præſciri in ſeipſis: *& quaſi*, inquit, *rem nouam ſe inueniſſe putant, nam in hac antiqua controuerſia non confugiunt vniuerſaliter Patres & veteres Theologi ad conditionatam præſcientiam.* Ac mox §.2. *Hæc ſententia non eſt neceſſaria pro aſſerenda hominis libertate, & in multis deficit.* In Commentario lit. C. *Hæc diſputatio* (inquit) *de præſcientia futurorum conditionatorum à nobis* (id eſt Ieſuitis) *ante 20. annos excitata eſt,&* CONTRA VOTVM NOSTRVM *ſuſcepta eſt in Italia ſententia, de qua in textu.* Vide eumdem ibid.lit L.M.& cap.5 §.4.ac 6.& cap.11. & tandem cap.14. §. 4. & 6. vbi agit de gratia efficaci.

Tertium,de quo circa Theſim 26.conqueruntur,eſt quod Auctor prouocauerit ad Bellarminum ſyncerum & non adulteratum:dicunt eſſe calumniam, quæ ipſam quoque petit Eccleſiam in Bellarmino Hæreticos hodieque triumphantem. Deinde nullibi extat integer alius ab illo qui communiter circumfertur. Igitur ille non eſt adulteratus. Demum id conſtat, inquiunt, ex ea quam poſtremis annis fecit operum ſuorum recognitione, ex iuramento Cardinalis de Monte,& ex teſtamento Bellarmini,quo publicè declarauit ſe in ea ſententia mori, in qua & vixiſſet, quæ eſt doctrina Societatis. Hæc illi.

Quod de calumnia Eccleſiam impetente afferunt, longè à veritate abeſt. Eccleſia ſuos triumphos habet, vt potè columna & firmamentum veritatis, ab omni priuatorum periculo & lapſibus ſecretos & independentes.

Verùm ad Bellarminum veniamus, quem in his præſertim de quibus agitur, adulteratum fuiſſe teſtantur Fuligatus, & Syluester Petra Sancta in vita Cardinalis Bellarmini lib. 2. cap. 5. pag. 100. editionis Latinæ Antuerp. ubi narrant modeſtiam Eminentiſſimi huius Senatoris maximè tunc apparuiſſe, *quando* (inquiunt) *volumina controuerſiarum diſpoſita,vt in lucem edi poſſent,non modo æquanimiter* (*ſicut ipſemet deinde Benedicto Iuſtiniano teſtatus eſt*) *ſed cum hilaritate etiam paſſus eſt à Patribus Societatis in Germania quoad paucula opiniones immutari in ſpem fructus inter hæreticos vberioris.* Hæc ibi.

Ex quibus manifeſtiſſimum fit immutatas in Bellarmino nonnullas opiniones, & alias in eorum locum repoſitas ex Bellarmini ſenſu non deſcendentes, idque ea ſpe, vt fructus vberior inter hæreticos haberetur, hoc eſt vt illis non Bellarmini ſed Germanicorum correctorum opinionibus, fortiùs hæretici peruincerentur & ad Eccleſiam traherentur.

Verùm ſi adhuc noſſe lector deſiderat quænam fuerint illæ opiniones, quas loco genuinæ mentis Bellarmini, in eius controuerſias intruſerunt, legat eoſdem Auctores in cap. vlt. libri tertij: quo loco referunt eos qui Societati præerant ſententiam Molinæ à Societate defendendam deliberaſſe ea potiſſimum ratione, *quia* (inquiunt) *iudicabatur imprimis idonea ad noſtri æui hæreſes peruincendas*. Profectò ſi liceat ex his duobus locis arguere, habebimus præmiſſas etiam in forma ſyllogiſtica penè rectè diſpoſitas ad inferendum hoc conſequens, Bellarmini opera in his quæ ad hanc ſpectant materiam fuiſſe adulterata ſiue immutata. Nam ex primo loco habemus correctores Germanos illa immutaſſe in ſpem fructus inter hæreticos vberioris, hoc eſt ſubſtituiſſe illas opiniones, quæ viſæ ſunt magis idoneæ, vt faciliùs Hæretici conuincerentur, & conuicti ad fidem redirent: Atqui tota Societas, aut ſaltem illi, qui ei præerant, exiſtimarunt opiniones Molinæ eſſe ad hoc ipſum magis idoneas: Igitur opiniones Molinæ Bellarmini operibus interſeruere. Cuius rei non leue aliud argumentum eſt, quod narrant ijdem lib. 3. cap. 4. pag. 547. Bellarminum iam morti proximum coram publico ſcriba profeſſum ſe dediſſe veritati, quæ in libris Controuerſiarum aſſeruerat, neque primam ſententiam vllatenùs mutauiſſe. Si ergo teſtes habeamus aſſerentes ipſum à ſententia Molinæ,& Leſſij procul abfuiſſe, imo contrariam publicè docuiſſe, profectò conficietur alias, quæ in libris Controuerſiarum leguntur, eſſe ſuppoſititias: Teſtes verò habemus oculatos & auritos Doctores Academiæ Louanienſis vnà cum Auditoribus, qui Bellarmini dictata publicè Louanij excepère. Hi in Epiſtola Cenſuræ aduerſus Leſſium præmiſſa, antequam Bellarmini opera ederentur & à Germanis correctoribus mutarentur, teſtificati ſunt Bellarminum contrarium Molinæ ac Leſſio ſententiam publicè Louanij prælegiſſe: ergo ſi nunquam mutauit ſententiam, neceſſum eſt ipſiſſimam illam in controuerſijs expoſuiſſe. Quare nec ſeipſum mendacio inquinauit, quando aſſeruit ſe ab ea, quam in Controuerſijs explicârat, opinione non diſceſſiſſe, quia videlicet aduerſantem Molinæ placitis ibi docuerat, ſed eã nobis Germani correctores iam ſuffurati ſunt, ac Molinæ dogmata eius loco alicubi repræſentârunt.

Verùm vt nihil occultum, quod non reueletur, vindicauit Deus veritatem imprimis quidem ipsorum Patrum Societatis confessione, deinde Louaniensis Academiæ testimonio, & (quod caput est) quibusdam veræ sententiæ particulis, quæ correctorum Germanorum, Deo sic permittente, diligentiam effugerunt: inuenimus enim non pauca in Bellarmini operibus prout extant, quæ à Molinæ sensu in præcipuis capitibus multùm abhorrent. Et vt vnum è multis proferamus, non negant aduersæ partis asseclæ suę sententiæ de simultaneo non præuio concursu Almainum subscribere in moralibus cap. 1. & 2. Illum enim quàm plures in suas partes eo loci citant, vt Suarez lib. 1. de concursu Dei cum voluntate cap. 14. Ruuius 2. Phys. q. 8. n. 79. & alij. At verò ipsius Almaini sententiam eo loci explicatam hac in parte confutat Bellarminus de gratia & libero arbitrio lib. 4. cap. 14. *falsum est* (inquit) *quod Almainus dicit concursum Dei non esse de præ-requisitis*. Denique in editione Lugdunēsi apud Pillehotte anno 1593. aliqua habentur circa hanc materiam, quæ non extant in editione Parisiensi anni 1608. & è contra, vt videre poterit Lector ad finem cap. 14. lib. 4. de gratia & lib. arbitrio.

Plura alia suppetunt argumenta tam apertæ veritatis, Bellarmin. longe aliter quàm Molinam in his sapuisse. Sed illa in alium locum seruamus. Solùm hic dicimus Bellarminum vti erat vir facilis atque optimæ indolis, & cui è Societate assumpto Societatis gloria cordi erat, noluisse aperta postmodum mentis suæ testificatione Patres olim suos deprimere.

XXVII. Thesis Qvæst.

SEntentia dictinctiùs tradita in Catechismo Tridentini est ipsissima mens eiusdem, cum sit compositus ab ijs qui sensum Concilij nouerant, tanquam supplementum ad instruendos Parrochos de ijs quæ plebem docere debeant, sed sententia docens prædeterminationem physicam, & ideo negans scientiam mediam, distinctiùs traditur in Catechismo *a*, qui sic habet. *Non solum autem Deus vniuersa quæ sunt prouidentia sua gubernat atque administrat, verum etiam quæ mouentur & agunt aliquid; intima virtute ad motum atque actionem ita impellit, vt quamuis causarum secundarum efficientiam non impediat, præueniat tamen, cum eius occultissima vis ad singula pertineat, &c.* Respondent Catechismum non esse magnæ auctoritatis, vt potè compositum à tribus Patribus Ord. Præd. & à Pio V. ex eodem Ordine approbatum.

a 1. *p.* 1. *art.* *Symb. fidei* *num.* 22.

Nihil in ista reprehendunt.

Sed contra primò quia cum Delrio in præf. ad l.disq. primæ edit. Lugdun. hoc effugium scripsisset, iussit Pontifex illam expungi tanquam sanctæ Sedi iniuriosam, nec tamen eandem tradere postea destiterunt, vt constat ex varijs auctoribus. Deinde actio mandata magis tribuitur mandanti, vtpote causæ principali, quàm mandatario *a*: Sed Catechismi huius compositio est actio mandata à Tridentino: ergo illi non Patribus his debet tribui: quare etiam Catechismus Tridentini dictus est. Ad hæc qui iussu Iudicis aliquid facit non censetur dolo malo facere, quia parere necesse habet *c*: Sed hi Patres pijssimi, eruditissimi, toti Societati amicissimi, *d* qui Tridentino interfuerant, *e*. ante ortam vel minimam litigij vmbram iussu Tridentini hunc Catechismum perfecère: Ergo non debent censeri dolo malo fecisse.

a Reg. 73. *de reg. iuris in 6 c. 1. de procur. cap. quicumq; de sent. excoicat. in 6. l. qui mandat. ff. de solut. lib. 1. §. quoties ff. de vi & vi arm. l. qui iussu ff. de reg. iuris.*

b Ex *sess.* 14. *c.* 7. *ex sess. vlt. in continuatione sess.* c Reg. 24. *de reg. iuris in* 6. d Orland. *hist. suæ* Societ. *l.* 1. *num.* 1. *l.* 10. *num.* 18. *l.* 11. *num.* 38. *l.* 14. *n.* 33. *Sacchinus hist. suæ Soc. lib.* 2. *num.* 33. e *Index* PP. *Tridentinorum.*

Thesim 28. ex duobus carpunt: alterum est quod auctor non citarit eos qui respondent Catechismum Romanum non esse magnæ auctoritatis: alterum verò quod dixerit Delrium tale effugium scripsisse in præfatione disq. magicarum primæ editionis Lugdunensis, quam posteà Pontifex iusserit expungi; quia, inquiunt, nulla in prima illa editione apud Pillehotte Lugduni 1 6 0 4 est specialis præfatio, quæ non reperiatur in omnibus alijs.

Nos sanè vix possumus dicere quosnam auctor voluerit indicare: nouimus tamen Camerarium 2. p. selectarum disputationum philosophicarum qu. 9. dub. 2. num. 3 §. probant secundò, meminisse cuiusdam Morisani (quem Iesuitam fuisse ex duobus euincit) eumque refert præfatâ aduersus Catechismum exceptione vsum. Idem nobis audientibus præstitere non pauci alij in Collegijs Societatis Parisiensi, Tolosano, Burdigalensi & alijs, eodemque effugio nonnullos Catechismi locum euasisse refert Hyacinthus Choquet, qui etiam factum Delrij narrat in tract. de mixt. aquæ in Calice cap. 13. Cuius auctoris opus (quod viscera Deiparæ erga Ordinem Prædicatorum vocauit) non alia de causa arbitramur proscriptum esse, quàm quod contra prohibitionem Vrbani VIII. anno 1625. quædam scripsisset, quæ miraculi speciem præferebant, cùm tamen non essent ab eminentissimis Patribus discussa, & à Summ. Pontifice approbata. Hanc verò vnicam fuisse proscriptionis causam, vel ex eo colligimus,

quod eodem tempore liber quædam veluti mira insignium Patrum Societatis gesta etiam continens, eadem ratione proscriptus sit. De Delrio itaque nihil ampliùs dicemus, donec vera prima Lugdunensis editio in manus nostras inciderit, suspicamur enim auctorem sicut & Choquetium non hæc dixisse absque fundamento.

XXIX. THESIS QVÆST.

RESponsa prudentum quibus de iure respondendi à Principe potestas facta est, plenissimam auctoritatem sortiuntur, perindè ac si ab ipsis Principibus constituta fuissent *a* : Quantò magis liber ab ijs compositus, quibus nedùm concessa facultas, sed imposita est necessitas per mandatum? Accessit auctoritas Pij V. *b.* & Gregorij XIII. *c* qui toti Concilio Tridentino interfuerat, *d.* Qui Patribus Societatis fauebat plurimùm. *e.* Hinc factum est, vt is Catechismus tanquam legitimus Concilij Tridentini fœtus à supradictis Concilijs Prouincialibus receptus sit, *f.* quibus aderant plusquam viginti ex Præsulibus Tridentinis, *g.* & inter illos Gregorius XIII. *h.*) & ab ipsis Patribus Societatis, *i.* etiam in proprijs Regulis, *k.*

a *Parag. sed neque in constit. de conc. digest. parag. respōsa prud. Instit. de iure nat. gen. & ciuil.* b *Apud Fab. in præf. Geor. Eder. in partit. Iacob. Bayum, Gabutium in vita Py V. lib. 1. cap. 12. lib. 2. cap. 4. Ipse Pius in Breui ad Man. in Bulla pro reform. Ord. Cisterc. & Ord. seruorum bull. 106. bull. 122. in breu. speciali denique ex tit. Catech.* c *In Breui 1583. bull. 48. ex Conc. Aquileiensi, ex Posseu. in Apparatu.* d *Ciacconius in Greg. 13. cum addit.* e *Id. & bull. 1. 15. 36. 39. 51. 57. &c.* f *Vide Thes. 7.* g *Ex Act. eorumd. Concil.* h *In Concil. Mediol. 1576. & in syn. Diæc. Cremon. 1584.* i *Bull. paßim. Posseuin. lib. 6. c. 11. 15. & 40. & lib. 7. c. 12.* k *Reg. de perf. lect. mens.*

XXX. THESIS QVÆST.

DOctrina D. Augustini & Diui Thomæ in materia de gratia & libero arbitrio fuit recepta in Tridentino, quia Augustini doctrina circa hoc est fides Ecclesiæ *a*, & quia Patres Tridentini plurimum vtrique sancto Doctori deferebant, vt videre est in Baronio *b*, & Payua de Andrade *c*, qui refert totum Concilium substitisse in definitione de ordinatione Sacerdotum in nocte cœnæ, quia aliquis malè opposuit id esse contra D. Thomam: constat etiam quia Clemens VIII. edixit doctrinam D. Thomæ esse absque vllo prorsus errore: *d*, atqui doctrina negans scientiam mediam & asserens gratiam ex se efficacem est D. Augustini & D. Thomæ, vt fatentur Molina *e* Conimbricenses *f*, Suarez *g* libellus de ratione Studiorum *h* Patrum Societatis, qui habet vim Constitutionis: & ita etiam censuerunt Academiæ Louaniensis & Duacensis, Cardinalis Baronius,

a *Ex Concil. Mil. Carth. Arausic. ex SS. PP. Innoc. Zozimo, Bonif. &c.* b *Ad 7. Martij.* c *In serm. de laud. D. Th.* d *Clemens 8. in breui ad Neapolit.*

Consultores Congregat. de Auxilijs, Clemens VIII. & Paulus V. & hinc patet ad quæstionem.

e In conc. passim & præsert. memb. vltimo, f *2. Phys. cap. 7. q. 13. art. 1.* g *lib. 1. de conc. cap. 11. num. 7.* h *cap. de del. opinionum reg. 11.*

Irruunt conglobatis interrogationibus in Thesim vltimam n. 40. nam n. 39. nihil quod momenti sit afferunt. Vbinam (inquiunt) Clementis VIII. & Pauli V. Iudicium?

Resp. Passim in actis elucere, haberi apud D. le Bossu Doctorem Sorbonicum cap. 2. in 7. & 8. notas & alibi sæpè, colligi ex Fuligato, & Syluestro Petra sancta lib. 3. vitæ Bellarmini cap. vlt.

Vbinam consultorum?

Resp. Haberi ex actis, ex D. le Bossu, ex memoriali PP. Societatis exhibito Clementi VIII. ex narratione D. Francisci de Penna, & ex parte fatetur Paulus Leonardus Iesuita p. 1. n. 19. sub finem.

Vbi Baronij?

Resp. Ex D. Matthæo, & ex tomo 6. Baronij satis constare.

Quis dedit libello Societatis vim Constitutionis?

Iam responsum est, Congreg. quintam generalem. Et sanè mirum est reprehensores id ignorare, quod familiarissimum esse deberet.

Quis in eo libello legit vnquàm caput de delectu opinionem?

Iam diximus vel caput, vel tractatum, vel paragraphum haberi, nec repetenda sunt superiùs dicta.

Nùm pudet quæsitorem citare Suarum lib. 1. de concursu c. 11. num. 7.

Minimè pudere debet, quia verissimum est Suarem eo loci fateri D. Thomam admisisse prædeterminationem physicam in q. 3. de potentia art. 7. sed posteà retractasse. En verba Suaris. *Colligo D. Thomam Doctorem factum omisisse & retractasse in 1. p. sententiam illam de virture fluente, &c. Nec discursus, quo in illa q. 3 de potentia vtitur D. Thomas, est efficax.*

Nùm puduit citare Molinam vltimo membro concordiæ?

Nequaquàm profectò. Imò potiùs eos, qui aduersus PP. Ecclesiæ præsertim Augustinum parùm reuerenter loquuntur, pudere debuisset. Iam verba Molinæ retulimus, qui non dicit Augustinum sibi fauere nisi conditionatè, si ea de re fuisset consultus: absolutè verò illum impugnat, vt est euidens.

Nùm puduit Conimbricenses citare 2. Phys. cap. 7. quæst. 13. art. 1.?

Certè non debuit pudere, quia quamuis eò loci non loquantur de gratia efficaci; nihilominùs ibidem philosophicum fundamentum gra-

gratiæ physicè prædeterminantis D. Thomę attribuunt. Dicũt enim. *Discutienda se offert celebris opinio D. Thomæ, Capreoli, Ferrariensis, & aliorum existimantium omnes causas secundas antequàm operentur accipere à Deo influxum quemdam & motum, qui sit quasi esse intentionale virtutis diuinæ, quo ad promendas actiones excitentur, eo modo quo artium instrumenta, vt dolabra, & securis præuiam motionem à fabro accipiunt, cum ad opus conficiendum applicantur.*

Ad 41. Thesim vnico verbo satisfacimus. Tolerantia & dilatio non est adiudicatio prouisoriæ. Quare Pontifices prouisoriam non adiudicarunt. Bulla Sixti V. vt diximus, vtrique parti imponit silentium. Constitutio illa Clementis VIII. nulla vnquam fuit. Qua enim ratione Constitutionem anno 1594. edidisset de prouisoria adiudicanda, quando ad se causam euocabat, & contra Molinam definire parabat, solùm fuit sublatio interdicti de non prælegẽda publicè materia de Auxilijs, vt refert Reuerendissimus Hieron. Baptista de la Nuza in sua ad Paulum V. epistolâ.

Paulus V. nõ Constitutionem edidit post disputationes, sed iussit Generalibus vtriusque Ordinis vt epistolam tenoris sequentis ad Prouinciales scriberent.

In negotio de auxilijs Diuinæ gratiæ sua Sanctitas significauit tam disputantibus, quàm Consultoribus, posse illos redire ad proprios lares, suóque tempore declarationem fore vt proferret suam. Interim ordinauit, idque valde serio, ne quis inter agendum de his materijs ausit alterutram parem qualificare, vel censura notare; ordinando præterea quòd si quispiam siue ex FF. Prædicatoribus, siue ex PP. Societatis in hoc peccauerit, seuerissimè puniatur. Intendit enim sua sanctitas quod hæc ordinatio inuiolabiliter obseruetur.

Cumque propterea PP. Societatis se causam lucratos in Hispania gloriarentur, iussit Pontifex, vt scriberetur causam illos non esse lucratos, sed dumtaxat iudicium esse suspensum. En literas de mandato Pontificis scriptas.

Vidi quas ad me scripsit in causa de auxilijs, multumque miratus sum, quòd contra intentionem Sanctissimi Domini norstri, ausint asserere ac promulgare similia, quia certè verissimum est Sanctissimum Dominum nihil eâ de re decreuisse: imò verò cum sibi definitionem vltimam vindicarit, etiamnum de illa cogitat, contrariumque affirmando vel spargendo in publicum maxima irrogatur iniuria, & ipsi personæ Sanctissimi Domini, & S. sedi Apostolicæ. Et hoc est quod possum in præsentiarum certò scribere. Si quid in contrarium his dicatur, moneat me, vt inobedientes cognoscantur. Romæ 8. Ianuarij 1608.

Dum hæc epistola fuisset promulgata in Hispania, PP. Societatis illius exemplar Summo Põtifici exhibentes nullum aliud responsum

tulêre, nisi rem ita se habere, vt in præfata epistola dicebatur. Quare patet non fuisse illis adiudicatam prouisoriam, sed dumtaxat suspensum iudicium ob varias causas.

Sic olim Pontifex Honorius Primus in causa Monothelitarum distulit iudicium. Vnde & ab hæreticis calumniam passus est.

Sic Zozimus in causa Pelagianornm, sic alij iudicia suspenderunt, nec propterea hæreticis prouisoriam adiudicarunt. Absit tamen comparationi inuidia, neque enim nos aduersantem partem proscribimus; sed dumtaxat veritatem seclusis fucis rhetoricis, dicterijs, ac scurrilibus verbis quantum modestè potuimus, defendere conati sumus, si quid hac in parte peccatum est, parati emendare, sicut & de his quæ diximus fidem facere. Si litem Patres Iesuitæ lucrati sunt, cur in Imagine illa primi sæculi, vbi quæcunque ad gloriam Societatis illustradam conferunt, tanto fastu prosequuntur, nulla prorsus huius rei mentio habetur? Causa Lessij ibidem ad longum describitur, varij alij casus, etiam leuiores, fusissimè referuntur: de hoc negotio, quod per annos viginti totum ferè Christianum orbem suspensum & expectabundum detinuit, ne verbum quidem. Hæc si aduertissent reprehensores, nunquàm vt narrationis veritatem expugnarent, dixissent sibi prouisoriam adiudicatam: nam si benè cessisset, nemo credet illos ab hac tam gloriosa victoria scribenda, promulganda, ornanda, in illo laudum Societatis theatro abstinere potuisse.

Indi-

Indiculus falſitatum quæ reperiri probantur in ſolutione quæſtionis.

1 NVm. 1. ad finem ſupponunt Hiſt. Orlandini non fuiſſe ſcriptam anno 1607. Scriptam fuiſſe, non tamen editam, conſtat ex Biblioth. Societatis litera O.

2 Num 2. imponunt auctori quod Theſi 9. dixerit Moliniſtas circa annum 1601. cudiſſe Apologias pro Fauſto, quod falſum eſſe demonſtratur pag. 23.

3 Ibidem negant Baron. loqui de Apologiis pro Fauſto. Oppoſitum probatur p. 23.

4 Ibid. negant dictum Baronij intelligi de Moliniſtis. Contrarium oſtenditur p. 24.

5 Nu. 4. & 5. negant Tuccium ſcripſiſſe notas in Caſſianum. Probatur tamen p. 23.

6 Num. 7. tribuunt Auctori, quod dixerit Congregationes habitas bis hebdomada annis 1599. & 1601. Id falſiſſimum eſſe declaratur pag. 18.

7 Num. 9. negant caſum Valentiæ. Sed probatur pag. 29. 30. & 31.

8 Num. 13. dicunt Cenſuram Louanienſem factam inutilem Bulla Nuncij Apoſtolici. Contrarium patet pag. 4.

9 Num. 14. tribuunt Auctori quod Leſſium dixerit Molinæ diſcipulum. Oppoſitum conſtat pag. 5.

10 Ibidem negant Leſſium Molinæ diſcipulum fuiſſe. Falſum eſſe declaratur pag. 6.

11 Ibid. negant locum Henriquez intelligi de Leſſio. Falſitatis cõuincitur p. 4. & 5.

12 Ibidem dicunt Leſſium fuiſſe impugnatorem Catharini. Vide oppoſitum probatum pag. 4. & 5.

13 Ibidem dicunt reprehenſores Leſſij fuiſſe à Sixto V. reprehenſos. Contrarium docet Henriques citatus pagina 4.

14 Num. 15. negant ſilentium indictum vtrique parti à Sixto V. Non eſſe verum probatur pagina 6.

15 Ibidem ſupponunt auctorem dixiſſe, quod Generalis Societatis ſoluit Molinam ea ſilentij lege dando facultatem ad edendam concordiam. Falſum eſſe probatur pag. 7.

16 Num. 16. dicunt auctorem aſſeruiſſe ortam ex concordia Molinæ diſcordiam anno 1584. Falſam eſſe criminationem patet ex lect. 6. Theſis, vide pag. 7. & 8.

17 Ibidem negant D. Mat. dicere ortam ex cõcordia Mol. diſcordiam, vide pag. 8.

18 Ibidem negant factum Antonij de Padiglia. Illud probatur pag 9.

19 Ibidem truncant verba auctoris. Vide pag. 9.

20 Num. 17. Negant auctorem alium protuliſſe teſtem natæ diſcordiæ ex Molinæ concordia ob verba minus reuerenter prolata in D. Aug. quàm Molinã. Oppoſitum pag. 9. 10. & 11.

21 Ibidem negant fideliter repreſentatam Molinæ phraſim. vide pag. 9. & 10.

22 N. 20. negant totam Societ. ſuſcepiſſe Molinæ defenſionem. Sed verum id eſſe prob. pag. 14.

23 Ibidem id negant haberi ex D. Matthæo. vide pag. 14.

24 Ibidem dicunt in Congregationibus anni 1601. partes non interfuiſſe. Contrarium pag. 15.

25 Num.21. asserunt Molinam nõn negare influxum 1. causæ in 2. &c. Oppositum pag. 19. & 20.
26 Num. 22. falsò & minimè ad propositum citant D. Thomam pag. 21.
27 Num. 23. negant se docuisse Pontificem errare posse. Vide pag. 22.
28 Ibidem negant esse caput vllum de delectu opinionum in lib. de ratione studiorum, pagina 24. & 25.
29 Ibidem negant in vllo instituti Iesuitarum libro haberi aliquid, quo profiteantur se discedere à D. Thoma. Oppositum videbis ex Turrian. pagina 25.
30 Num. 24. dicunt auctorem inducere Clementem damnantem Iesuitas inauditos. Falsum patet pagina 26.
31 Ibidem dicunt non fuisse inchotas disput. quando Clemens 8. increpauit illos. Falsum pagina 26.
32 Ibidem dicunt auctorem referre damnatam à Consultoribus Molinæ propositionem de virtutibus infidelium. Oppositum vide pagina 26. & 27.
33 Ibidem indicant propos. illam haberi in Bulla contra Bayum. Falsum probatur pagina 27.
34 Ibidem eandem dicunt esse Thomistarum & nominatim Gonçales. Falsum p. 27.
35 Num. 25. dicunt omnem propositionem Molinæ, quam auctor retulit à Thesi 10. vsque ad 22. alijs atque alijs modis esse corruptam. Quare visum hic illas propositiones subijcere, & loca Molinæ vbi illas docet afferre.

Non diffitemur autem citationes marginales, quas affert auctor, quandoque fallere siue id contigerit errore typographi, siue ob varietatem editionum, iuxta quam est etiam varietas disputationum & paragraphorum, vt constabit conferenti editionem concordiæ Vlissiponensem anni 1588. cum Lugdunensi ad finem primæ partis anni 1593. apud Ioannem Baptistam Buisson; & hanc cum Antuerpiensi anni 1595. apud Ioachimum Trognæsium. Nos vtemur Lugdunensi citata supponendo tamen §. fortè mirabitur, qui additus est in editione Antuerpiensi ad membrum 6. disp. 19. pag. 81. col. 2. in quo §. profitetur Molina se semper amplexatum fuisse opiniones illas, quas disp. 14. & 19. dixit esse communes Scholasticorum.

36 I. Propositio. Dantur in infidelibus veræ virtutes.

Hanc non negant esse Molinæ vt constat ex Thesi 24. Illam docet Molina disp. 5. § vt ad vires pag. 767. col. 1. lit. E. *Cum solo concursu generali Dei absque alio dono vel auxilio gratiæ, potest homo efficere opus bonum Morale, quod fini naturali accommodatum, & comparatione illius sit vere bonum ac virtutis opus.* Quod etiam extendit ad infideles disp. 6.

37 II. Potest homo viribus naturæ assentiri reuelatis, vt reuelatis.

Molina disp 7. § vt ergo. Versu quod itaque, adjuncto §. pars affirmans pag. 770. col. 2. lit. B. C. *In facultate liberi arbitrij est cum solo concursu generali Dei rebus propositis assentiri tanquam à Deo reuelatis.*

38 III. Homo edoctus assensum supernaturalem (fidei) esse necessarium (ad salutem) potest illum optare, petere, se disponere.

Molina disp. 43. §. Ex his pag. 847. col. 1. lit. D. loquens de assensu fidei supernaturalis, qui exigit actum intellectus & actum voluntatis, vt ibidem § praecedenti declarauerat. *Ex his patet, inquit, hos duos motus gratiæ præuenientis actiones esse vitales intellectus & voluntatis, multumq́; pendere à libero arbitrio, imo & liberum arbitrium posse illos* desiderare, & petere *à Deo, & quodam modo seipsum* aptare *& disponere.*

39 IV. Propos. Seruanda est laus libero arbitrio in receptione gratiæ, ante & post.

Molina disp. 9. §. vt quæ hac, vers. licet, pag. 776. col. 1. lit. B. *Ante receptionem gratiæ & in ipsa gratiæ receptione ac postea in augmento illius suum locum libero relinquit* (Deus) *arbitrio.. Quatenus ipse auctor esset omnium bonorum, omniaq́; ei accepta referrentur, nihilominùs libero arbitrio propria industria & laus seruaretur.*

40 V. Potest homo lapsus elicere contritionem naturaliter.

Molina disp. 14. memb. 1. §. negari, pag. 784. col 2. lit. E. *Negari non potest complurium esse Scholasticorum sententiam liberum arbitrium nostrum cum solo concursu generali Dei, elicere posse non solum actum attritionis naturalem, id est dolorem de peccatis ex Dei timore cum proposito amplius non peccandi lethaliter, sed etiam actum contritionis naturalem, quæ idem propositum non peccandi ampliùs lethaliter includat.* Eam verò esse suam sententiam docet in cit. §. fortè mirabitur: imò motiuum supernaturale illi actui tribuit ibidem §. ratio.

41 VI. Homo lapsus naturaliter potest diligere Deum super omnia.

Molina disp. 14. membro 3. §. duo quædam pagina 789. col. 2. lit. B. *Duo quædam colligere licet ex dictis toto hoc membro.. Primum est immeritò ex doctrina D. Thomæ a. 3. cit. aduersus eundem in 4. loco membro 1. cit. communemq́; Scholasticorum sententiam inferri dari non posse solis viribus naturalibus arbitrij nostri & concursu generali Dei actum absolutum merè naturalem dilectionis Dei super omnia, qui ad iustificationem nequaquam sufficiat.*

42 VII. Homo potest naturaliter cuilibet tentationi resistere. Molina tota disp. 19.

43 VIII. Datur lex dandi infallibiliter gratiam facienti quod in se est ex naturalibus.

Molina disp. 10. in principio pag. 776. col. 2. lit. C. D. *Inter leges quas tam ipse* (Christus) *quàm Pater æternus statuerunt de auxilijs & donis quæ nobis Christus promeruit merè gratis conferendis, vna eaque rationi maximè consentanea fuit, vt quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est, præsto nobis essent auxilia gratiæ, quibus ea vt oportet ad salutem efficeremus, vt ea ratione, dum essemus in via semper in manu arbitrij posita esset salus nostra.*

44 IX. Homo lapsus potest habere iudicium naturale cuiuscunque boni moralis.

Mol. disp. 19. memb. 2. § auctores. pag. 804. col 2. lit D. adiuncto §. fortè mirabitur cit. *Auctores huius sententiæ consequenter affirmant nullum esse in singulari*

opus bonum morale merè naturale, quod homo naturæ lapsæ cum solo concursu generali Dei non poßit efficere.

45 X. Gratia illuminans & exitans sufficit ad salutem.

Mol. disp. 38. §. ex dictis pag. 832. col. 2. lit. F. quatenus ibi docet eandem numero gratiam esse præuenientem, excitatem adjuuantem & cooperantem.

46 XI. Deus expectat nostros conatus, vel occasiones.

Mol. disp. 9. § quod hac, versu Etenim quamuis pag. 776 col. 1. lit. A. *Quatenus ergo excitatio illarum cogitationum, sine quibus Deus non influit affectum timoris supernaturalis pendet à ministris & conatu Ecclesiæ, atque à libero arbitrio eius in quo exitantur, eatenùs gratia præueniens voluntatem peccatoris ad attritionem pendet ab eisdem ministris conatuque Ecclesiæ atque à libero arbitrio eius cui confertur. Etenim quamuis illam Deus non conferat propter illa quæ antecedunt, nihilomiuus nisi illa antecedant conferre illam non solet.* Expectat ergo Deus quoadusque illa antecesserint. Illa autem sunt conatus liberi arbitrij & occasiones prædicationis, lectionis, &c. vt ibidem priùs expresserat.

47 XII. Ad perseuerantiam sufficit gratia habitualis & auxilium sufficiens.

Mol. q. 23. a. 4. disp. 1. memb. vlt. pag. 857. col. 1. lit. F. docens quod cùm auxilio, quo cum vnus non perseuerat (atque adeo sufficienti) alter perseuerat.

48 XIII. Actus illi naturales supra recensiti dicunt ordinem ad instificationem.

Molina docens facienti illos actus dari gratiam ex lege infallibili, eosdemque actus assererens esse dispositiones remotas ad iustificationem 1. p. q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. memb. 11. §. illu addendum. Versu quin sicut pag. 354. col. 2. lit. D. & ratione illorum conatuum naturalium salutem esse positam in manibus nostris, vt visum est in 8. propos.

49 XIV. Conantibus ex viribus naturæ Deus dat gratiam, non tamen quasi ex meritis (&) propter conatus naturales, non tamen tanquam propter merita sed tanquam propter occasiones, Deus dat gratiam.

Mol. disp. 10. in principio pag. 776. col. 2. lit. C. dicens. *Quotiescunque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstouè est ad conandum totum id quod ex sese potest, tam circa dolorem de peccatis ac iustificationem, à Deo conferri gratiam præuenientem, auxiliauè, quibus id faciat vt oportet ad salutem, non quidem quasi eo conatu dignus efficiatur talibus auxilijs, vllauè ratione ea promereatur, sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob sua merita & inter leges, &c. & 1. p. q. 23. a. 4. & 5 disp. 1. memb. 11. §. Illud addendum* versu quin sicut. pag. 354. col. 2. lit. D. *propter eleemosynas & alia opera moraliter bona* (quæ fieri posse docet viribus naturæ vt sup. ostensum est) *facta ab existente in peccato lethali. consueuit Deus opitulari citius ac magis vni quam alteri vt à peccato resurgat, eaque ratione huiusmodi opera non immeritò appellari consueuerunt dispositiones remotæ ad gratiam.*

50 XV. Prædestinatio omnium non est gratuita.

Hanc intellectam de prædestinatione ad gloriam nemo dubitat esse Molinæ loco

vltimo citato §. octaua concluſio. pag. 349. col. 2. lit. D. E. F. & §. ſeptima concluſio vbi illam docet, ſicut & Leſſius, Vaſques & alij. De prædeſtinatione ad gratiam docet Molina loco in præcedenti propoſitione citato dicens. *Quæ auxilia & dona confert Deus in tempore propter aliquem bonum vſum liberi arbitrij antecedentem eadem ex æternitate conferre ſtatuit propter eundem bonum vſum præuiſum futurum ex hypotheſi, quod hunc vel illum ordinem rerum condere vellet.*

51 XVI. Liberum arbitrium & gratia ſunt duæ cauſæ partiales boni operis.
Molina q. 23. a. 4. & 5. diſp. 1. memb. 6. §. ad 1. harum verſu Porro. Pag. 326. col. 2. E. *Supernaturales noſtræ actiones à Deo ſupernaturaliter influente, & à nobis tanquam à duabus partibus vnius integræ cauſæ emanant.*

52 XVII. Deus ſe inſerit conatibus noſtris.
Molina diſp. 43. §. quod ſi quis. Pag. 848. col. 1. lit. C. *Quod ſi quis intellectu per lumen fidei illuſtrato cogitet ſe propter lethalia peccata ius ad ſempiternam fœlicitatem amiſiſſe, ignem & cruciatus ſempiternos extremamq; miſeriam promeruiſſe, naturaliter ex tali cogitatione inſurgere ſolet in voluntate motus timoris Dei, qui adeò peccata deteſtatur & acerbè punit. Huic autem motui ſolet ſe inferere Deus influxu ſupernaturali eum acuendo, vt plus ſtimulet ac pungat, tribuendoque illi eſſe ſupernaturale ſeruilis timoris.*

53 XVIII. Interna vocatio pendet à lib. arbitrio. Molina ſup. propoſitione 3. & 11.

54 XIX. Quamdiu ſumus in via ſalus eſt poſita in manu arbitrij noſtri, quatenus conantibus ex viribus naturalibus Deus dat gratiam. Mol. ſupra relatus prop. 8.

55 XX. Deus leges ordinarias in donis ſuis diſtribuendis magna ex parte vſui liberi arbitrij accomodat. Molina diſp. 9. §. quamuis hæc. Pag. 774. col. 2. lit. F. expreſſis terminis.

56 XXI. Deus exigit vt homo faciat quod in ſe eſt priuſquam donet fidem.
Molina ſupra relatus propoſitione 11.

57 XXII. Intellectus proponens voluntati Deum amandum, vt qui pro nobis fudit ſanguinẽ, vt pręmiantem vita ęterna, &c. proponit vt motiuũ naturale, vt vult.
Molina diſp. 14. memb. 1. §. ratio verò. Pag 786. A. B. C. *Præexiſtente maximè lumine fidei, quo agnoſcimus Deum conditorem noſtrum, innumeraq; & maxima beneficia tum naturæ tum gratiæ, quæ in nos contulit vſque ad proprij ſanguinis in cruce effuſionem, quo inſuper cognoſcimus iuſtis ſempiternam fœlicitatem, impijs verò ignem ſempiternum extremamq; miſeriam eſſe propoſitam, Lethale autem peccatum tam extremum eſſe malum adeoque diuinam Majeſtatem offendere, vt vel vnum ſit ſatis, vt qui illud commiſerit, niſi de eo doleat ſtatu atque nihil tale deinceps committere, ſupremam amittat fœlicitatem, in extremamq; incidat miſeriam, procul dubio tam potens eſt hæc cogitatio, vt liberum arbitrium eius qui hæc ſibi perſuaſerit cum ſolo concurſu generali Dei elicere valeat intuitu quidem extremorum, in quæ aliàs incidet, dolorem ſeu deteſtationem ſuorum ſcelerum cum propoſito cauendi in poſterum omnia peccata lethalia, in quo conſiſtit attritio quoad ſubſtantiam actus: intuitu verò bonitatis ac beneficiorum Dei ſimilem deteſtationem ac propoſitum, in qui bus poſita eſt ratio contritionis quoad ſubſtantiam actus inſufficientis ad ſalu-*

tem, eo quod peculiari impulsu Spiritus sancti excitata non sit, nec effecta.

58 XXIII. Lib. arbitrium præponderare gratiæ in operatione supernaturali collegerunt consultores, ex eo quod Molina docet lib. arbitrium reddere gratiam efficacem & cassam disp. 38 §. ex dictis. Pag. 839. col 2. lit. F. & alibi passim.

59 XXIV. Datur in Deo scientia media.

Affirmat Molina disp. 52. Concordiæ Antuerp. quæ est disp. 17. q. 14. a. 13. §. triplicem. Pag. 224. col. 2. B.

60 Bonus vsus auxiliorum diuinæ gratiæ est à libero arbitrio.

Hanc docere Molinam iudicarunt Consultores ex eo quod bonus vsus nihil aliud videtur, quam ipsa efficacia auxiliorum : At verò Molina docet efficaciam esse ex libero arbitrio loco citato propositione 23. & alibi. Aliæ propositiones, quas hic non retulimus, conueniunt cum istis, vt patebit attendenti : & sic patet in illa vnica sententia, quam proferunt reprehensores numero 25. ad minus 25. falsitates contineri : quare sit.

61 N. 26. Dicunt deprauanda fuisse loca Aug. & Viguerij ne fauerent Valent. p. 29. 30. 31. & 32.

62 N. 28. Malè transtulerunt verba Perronij, pagina 18.

63 N. 29. Negant actum fuisse ter de scientia media V. pagina 35.

64 N. 32. Neg. auct. citatos Thesi 26. stare contra scientiam mediam V. p. 39. 40. 41.

65 N. 33. Vt falsitatis conuincant auct. in citatione Romæi & Soti, non efferunt loca ab ipso allegata, sed alia pagina 40. 41. &c.

66 Ibid. Sumpserunt obiectionem Romæi pro eius sententia pagina 40.

67 Ibid. Dicunt Romæum, audiuisse in Trid. quæ scripserat 8. an. ante Trid. p. 93. 40.

68 69. 70. N. 34. Tripliciter falsificant Sotum pagina 42.

71 N. 35. Negant Bellarmini opera esse vitiata V. pagina 45.

72 N. 36. Dicunt mandatum Trident. approbationem Pontificum, &c. nocere p. 2.

73 Ibidem Dicunt Catechismum commendari ex falsis pagina 2.

74 Ibidem Negant Concilium Mediol. 1. suscepisse Catechismum pagina 3.

75 N. 37. Negant Iesuitas negare auctoritatem Catechismi pagina 48.

76 N. 40. Negant Clem. 8. & Paul. 5. vt priuatos DD. stetisse contra scientiam mediam pagina 50.

77 Ibidem Negant Consultores censuisse sententiam Molinam pagina 50.

78 Ibidem Negant lib. de ratione stud. habere vim Constitutionis pagina 50.

79 Ibid. Negant Suar. admittere præmotionem physicā fuisse de mente D. Th. p. 50.

80 Ibidem Negant Conimbricenses eandem tribuere D. Th. pagina 50.

81 N. 41. Dicunt prouisoriam sibi adiudicatam V. pagina 51.

82 Ibidem Citant constit. Clem. 8. quæ nunquam extitit pagina 51.

83 Ibidem Citant Constit. Pauli 5. quæ nulla fuit pagina 51.

84 Pro 84. falsitate repone iniurias, &c. in auctorē, & inuenies falsitates duplò excessisse num positionum; quibus omnibus hac vna sententia potuisset responderi.

Falsitatibus, iniurijs, dicterijs, &c. propugnari, argumentum mendacij est.